Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Assuerus Ampzing Christian Smilovius

D. Joannis Assveri Ampsingii Transisulani, ... Disputatio De Calculo

Rostochi[i]: Pedanus, 1617

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

R. U.
med
1617.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729695883/phys_0001
DFG

D. IOANNIS ASSVERI
AMPSINGII TRANSISULANI,

Serenissimi Principis & Domini, Dn. UDALRICI, Norvvegiæ hæredis, Lucis Holsatiæ, &c. Archiatri: Medicinæ Professoris ordinarij: & Poliatri Rostochiensis:

Disputatio
DE
CALCULO.

Quam

DIVINA ASPIRANTE GRATIA,

Publico examini subjiciet:

RESPONDENTE

CHRISTIANO SMILOVIO
Rostochiensi.

In Auditorio magno 4. Octobris 1617.
horis antemeridianis.



ROSTOCHI
Typis exscripsit Joachimus Pedanus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883/phys_0003
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

1926. 5.452

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883/phys_0004
DFG

Viro Magnifico, clarißimo, doctißimo,

D. JOANNI DOMANNO

JC. famigerato Hanſæ Teutonum & Urbis Roſarum Syndico conſultiſsimo;

fautori & amico S.

QVantis te dotibus Deus ter Opt. Max. donârit, auxerit, ornârit: ipſa videt atq; invidet Invidia, ingemiſcitq; & ringitur. Bona animi & ingenÿ tui nôrunt non jam ampliùs ſolæ urbes Hanſaticæ, verùm aliæ etiam in Germaniâ celebriores Reſpublicæ pleræq; omnes, nôrunt Principum aulæ, novit ipſa ſummi aula Imperatoris. Quin ad exteros quoq; populos nominis tui fama non dicam penetravit, ſed adſumptis alis transvolavit; ad Belgas imprimis & Hiſpanos, ad quos legatione functus, ita commiſſione tuâ es defunctus: ut tuum in judicando acumen, in proponendo lumen, in perorando flumen, viri qui te audiverunt docti, fuerint admirati venerati q; ut numen. Audiat ſanè hæc lectitetq; ipſus adeò livor, frematq; & frendeat, & Rumpatur quiſquis rumpitur invidiâ.

Tantis animi atq; ingenÿ donis ipſa annuens Fortuna, pleno copiæ cornu in ſinum tuum effuſo, ſic te honorum glorià coronavit, ſic te opum theſauris cumulavit: ut utrâ harum parte beatior videare, non facilè ſit judicatu.

At enimverò ne donorum tot tantorumq; excellentiâ efferrêris; ecce! ſtimulum in carne tibi figit ſummus rerum humanarum arbiter Deus, dum te immanibus calculi doloribus objicit lancinandum ac tantùm non dilaniandum: ut cognoſcas & agnoſcas in hac miſerâ lachrymarum valle nihil uſpiam eſſe beatum ex omni parte.

Petÿſti autem à me aliquo antè tempore, ut, cùm neq; de Causâ calculi, neq; de Generationis modo, neq; etiam de ipſa Curandi ratione una omnium ſit ſententia, in gratiam tui, materiam hanc methodo quàm poſſem accuratiore in chartam conjicerem, & publico examini ſubjicerem: ut haberes, undè poſſes ipſe & de morbo tuo & de medicamentis, quæ (ut fieri aſſolet) variæ tibi à variis indies ſuggeruntur, aliquantò rectiùs accuratiùsq; cognoſcere. Cui equidem petitioni tuæ morem lubenter geſſi, & materiam hanc omnem undiquaq; collectam diligenter congeſſi, methodoq; mihi in tractatione morborum uſitatâ, quod citrà arrogantiam dixerim, haud oſcitanter digeſſi.

Eccam ergo tibi Diſputationem meam de Lapide, quam ceu Columnam lapideam ad poſteros erigo, ſtudÿ, voluntatis & amoris erga te mei æternum monumentum. Faxit Altiſſimus, qui de terrâ creavit Medicinam, & qui dixit, Da locum Medico; faxit ſummus Medicorum Princeps Jeſus Chriſtus, cujus clara & aperta vox eſt, Malè habentibus opus eſſe Medico: ut opera qualiſcunq; hæc mea, ſtudium & induſtria, tibi ſerviant priſtinæ ſanitati tum recuperandæ tum conſervandæ. Vale, ex Muſæo noſtro, Roſtochij 4. Octobris, Anno à partâ Chriſtianis ſalute. Chriſte PropItIator, ſI VIs, potes Me ſerVare à nephrItIDe.

Mag. T. ſtudioſiſs.

JOAN. ASSVER. Ampſingius.

INDEX CAPITUM.

1. De Nomine Calculi.
2. De Genere Calculi proximo.
3. De Differentijs Calculi.
4. De Subjecto Calculi.
5. De Causâ Calculi continente.
6. De Modo Generationis Calculi.
7. De Causâ Calculi antecedente.
8. De Causâ Calculi externâ & evidente.
9. De Definitione Calculi.
10. In qvo examinatur sententia D. Plateri de Calculo.
11. In qvo examinatur opinio Qvercetani, & qvibus de rebus à Dogmaticis ille in Cognitione Calculi dissentiat, perqviritur.
12. De Signis Calculi.
13. De Curatione Calculi in genere & Scopis curandi.
14. De Victus ratione.
15. De Curatione Calculi, tempore Paroxysmi.
16. De Præcautione Calculi, tempore Intermissionis.
17. In qvô, Ecqvidnam in Curatione Calculi Qvercetanus à Dogmaticis dissentiat, indicatur.

Dispu-

DISPUTATIO

DE RENUM ET VESICÆ CALCULO SEU LAPIDE.

CAP. I.

De Nomine Calculi.

DE Lapide seu Calculo perpauca Hippocrates lib. de Nat. hom. & lib. de aër. aq. & loc. item 6. Epid. Plura verò Galenus 6. Epid. comment. 1. §. 6. & comment. 3. §. 15. Item Comment. in lib. Hip. de aër. aq. & loc. cap. 5. Et 2. loc. aff. 5. itemq; 6. loc. aff. 2. & 3. Deniq; lib. de ren. aff. cap. 2. Neq; verò est ut de Nomine Lapidis multa dicamus: cùm vulgò vel ipsis, quod ajunt, Lippis & tonsoribus notum sit, per Lapidem Renum & Vesicæ, intelligi corpus durum, tophaceum & lapideum, quod in partibus illis concrevit.

2. Quia verò lapis ille in dictis partibus varios morbos procreat & symptomata: usus obtinuit, ut hæc omnia sub uno Lapidis vocabulo comprehendantur: licèt res sint toto genere differentes: quas inter definiendum oportet distinguere, ne qua rei definiendæ, ob homonymiam vocabuli, remaneat difficultas.

3. Lapis dicitur Græcis λίθος. Undè affectus ipse quem in vijs urinæ Lapides procreant, dicitur communiter λιθίασις ἀπὸ τοῦ λίθου. Volunt tamen plerique affectionem hanc in Vesicâ appellari λιθίασιν, in Renibus verò & ureteribus νεφρέτιν ἢ νεφρίδα, ducto nomine ab ipsis renibus, quos νέφρους vocant. Et quamvis nomen Nephritidis suapte naturâ generale sit, & omnibus renum affectibus commune: usus tamen obtinuit tandem, ut καθ' ἐξοχὴν, Calculus renum id nominis sibi veluti proprium vindicaverit.

4. Sortiuntur autem Lapides diversa nomina, pro diversitate partium quibus inhærent. Calculus & Lapis sunt nomina generaliora, etsi in renibus Calculus, in vesicâ Lapis frequentiùs nominetur. Arenulæ vocantur, prima illa velut rudimenta, è quibus sæpe renum calculus coit & coagmentatur. Pulmonum calculus usitatè Grando appellatur. In cæteris ferè servatur nomen generale Calculi & Lapidis, sive in capite adeoq; vel in ipso cerebro ille fuerit, sive in ciliis, sive in faucibus, sive in linguâ sive in ventriculo, sive in corde, sive in epate, sive in folliculo fellis, sive in liene, sive in mesenterio, sive in intestinis, præsertim colo, sive in quacunq; aliâ corporis parte. In articulis ferè tophorum nomen obtinuit. vid. 3. 13.

Cap. II.

De Genere Calculi proximo.

1. Ad rem ipsam, quæ sub Calculi vocabulo comprehenditur definiendam, imprimis Genere opus est, eoq; proximo: in quo constituendo, non una omnium est sententia.

2. Placuit nuper novello cuidam definiendi artificulo, ut in definiendo particulares humani corporis affectus ita definitionem formemus, ne vel Causam vel Symptoma definiamus, sed Morbum duntaxat. Consilium meherclè vel ranâ Gryneâ dignum.

3. Nos verò, quod aliàs sæpè diximus, jam hic denuo inculcamus. Quando sub uno vocabulo comprehenduntur res plures: tum tot dari definitiones quot res. Siquidem uni conceptui & uni scibili, unica debeatur definitio, sintq; definitiones non vocabulorum, sed rerum quæ sub vocabulis continentur.

4. Comprehendi autem sub vocabulo Calculi res plures, Medicinæ procerum docet authoritas Veterum juxta & Neotericorum.

5. Omnium maximè sub vocabulo Calculi continetur & mente concipitur Causa morbi continens, Materia quædam præ-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883/phys_0008
DFG

Præcura, toto genere præter naturam, instar lapidis aut tophi, immediatè paritus obstructionem in renibus ureteribus aut vesicâ.

6. Secundò sub Calculi vocabulo comprehenditur ipsa renum, ureterum & orificij vesicæ obstructio, quam parit Calculus.

7. Tertiò comprehenditur sub vocabulo Calculi seu Lapidis, Morbus numeri aucti, ad considerationem Galeni, lib. de differ. morb. cap. 8. Et ibi DD.

8. Quarto licebit sub voce Calculi comprehendere renum & vesicæ intemperiem siccam.

9. Quintò concipitur sub voce Calculi Morbus similaris materiæ renum & vesicæ. De quo morbi genere egimus Disput. 2. de morb. differ. thes. 36.

10. Sextò potest & Calculus considerari ut morbus similaris Formæ. quem definivimus Disp. 2. de morb. differ. thes. 50.

11. Septimò continetur sub voce Calculi Symptoma Excrementi mutati, soboles dictæ Intemperiei.

12. Octavò est quandoq; Calculus & Soluta unitas.

13. Ridet tantam Generis varietatem meus Adversariolus: ideò quæ dixi Medicinæ Scriptorum authoritate videntur confirmanda. Allegabo autem neq; omnes neq; multos, quòd vel in ore duorum aut trium consistat omne testimonium.

14. Pro Cœlio Capivaccium adduco, scribentem in hæc verba, Forma hujus vitij *nimirum Calculi* est MORBUS, ubi intelligimus vitium in meatibus. Quare hoc vitium calculosum potest esse morbus in Solutâ unitate, item in Numero, item in viâ in Angustiâ. *Et iterum.* Constitutum igitur sit Calculum in rene existentem esse causam efficientem Morbi, qui morbus varius est, modò Angustia, modò Numerus auctus, modò Soluta unitas, prout Calculus vario modo renes afficit.

15 Rudius, Calculus quamvis Morbi quoq; causa statui possit: nihilo minus & propriè ad Morbum in Numero aucto redigendus est.

16. Andreas Cæsalpinus, Calculus morbus est in Numero.

Est & Causa obstructionis, aut attritionis. Symptoma autem Intemperiei.

17. *Trincavellius*, Calculus in vesicâ interdum rationem habet Morbi, interdum verò Causæ.

18. *Idem tradit Vidius, sed prolixùs quàm ut placeat eum describere.*

19. *Duncanus ait* sumi Calculum aliquando pro morbi Causâ, qvatenus renes obstruit & continuum solvit : à Galeno pro Morbo in Numero aucto.

20. *Placet superioribus & Quercetanum addere Chymicum, Ille verò disertè scribit* Calculum & Morbi & Causæ & Symptomatis nomen sibi usurpasse, diverso respectu.

21. *Eat nunc igitur Chymiasterculus meus & vel hoc præceptore Chymico tandem discat, sub uno particularis alicujus affectus vocabulo res plures comprehendi.*

Cap. III.

De Differentijs Calculi.

1. *Magna est Nephritidi cum passione colicâ affinitas, & signorum similitudo, ideoq; &, qvantisper nihil dum arenarum & calculorum excernitur, perdifficilis utriusq; affectionis distinctio: qvæ ipsum etiam olim Galenum alios q; Medicos antiqvos fatigavit, medios q; tenuit. 2. loc. aff. 5. & 6. loc. aff. 2.*

2. *Etenim nonnunqvam dolores colici vel à vitreâ pituitâ, vel ab acri erodente q; humore, vel etiam ab inflammatione orti, eâ coli parte ceu stabiles defixi hærent, ubi id juxta renes obvolvitur, maximè in latere sinistro, ubi Natura intestinum hoc, ne lienem premeret, angustius efformavit : ut hoc casu dolorem colicum à dolore nephritico, præsertim ab initio, discernere perarduum sit.*

3. *Præterea utrobiq; & in Nephritide & in Dolore colico tum nausea tum vomitus ægrum infestat, qvo primùm pituitosa,*

mox

mox etiam bilioſa reÿciuntur. In Colico quidem dolore ſit vomitus qvàm in Nephritide major & frequentior, idq; per conſenſum ventriculi, cujus fundo Natura pluribus de cauſis colon adhærere voluit. In Nephritide verò cietur vomitus ob conſenſum peritonæi, à qvo faſcia ſeu exterior renum tunica exoritur. Nam calculo ureteras permeante, & immanitate ferociâq; peritonæum convellente: ventriculus, qvi & ipſe exteriorem ſuam tunicam habet à peritonæo exortam, ſubvertitur. Altera in Nephritide vomitus cauſa eſt ille ventriculi & renum conſenſus, qvi fit mediantibus nervis, qvi bini à ſtomachico exorti, in propriam renum membranam internam diſtribuuntur. Cumq; ren dexter cæco inteſtino, qvandoq; ipſi etiam epati; ren verò ſiniſter lieni & colo connectantur: non utiq; eſt mirum ſi flatuum & excrementorum copiâ exacerbetur ipſa etiam nephritis.

4. Signa qvæ diximus, Nephritidi & Colico dolori communia, etſi diſtinctionem harum affectionum ab initio difficilem reddant: non deſunt tamen nota aliundè deſumptæ, qvibus alteram ab alterâ dinoſcamus. Illæ autem potiſſimùm à ſubjecto, à doloris proprietate, ab actione læsâ & excrementorum diverſitate petuntur; ediſſerente Galeno 6. loc. affect. 2. & 3. qvi ſanè locus pulcherrimus eſt.

5. A Subjecto qvidem, Dolor colicus ut plurimùm vagus eſt, amplus & extenſus, prout ipſum colon omnium inteſtinorum amplißimum extenditur & regionem abdominis omnem ultrò citròq; ſurſum ac deorſum pervagatur. Contrà, Nephriticus dolor fixus eſt & ſtabilis qvantiſper qvidem adhuc calculus vel in renum ſubſtantiâ, vel in horum ſinu deliteſcit. Qvi ſi è renibus emerſus per ureteras moveri incipiat: jàm ſuo ſe indicio ipſius prodit, dolore ceu individuo calculi comite, per ureteras ad veſicam vergente, partesq; illas, qvippe magis ſenſiles, pungente, terebrante, lancinante, diſtendente, dilacerante.

6. Præterea Colicus dolor punctorius eſt, ob partis ſub-

fecta sensum exquisitum; dolor verò calculi adhuc intra renes commorantis gravans & obtusior; cujus causa adscribitur nervorum propaginibus circa principia arteriarum mesenterij prodeuntibus; quarum pars cum arterijs emulgentibus cavum renum subit, perq; eorundem substantiam disseminatur. Causa retracti in Nephritide testiculi lib. de ren. aff. cap. 2. redditur testium vasorumq; seminalium compassio, compassionis verò distentio venæ & arteriæ. Quæ quidem ratio mihi certè perobscura videtur.

7. Colicus dolor universum propè abdomen ultrò citroq; pererrans, murmura, mugitus & rugitus edit: quos nullos audias in nephritide. Quare etiam citatâ & purgatâ alvo discussuq; flatibus ille quidem conquiescit: Nephritis verò etsi ab excretione fecum nonnihil mitescat, redit tamen & manet, quàmdiu renes non fuerint liberati à calculo.

8. Sed neq; pretereunda videtur nota illa Nephritidis à Colico dolore distinguendæ, quæ apud Hippocratem extat 6 Epid. com. 1 § 6. & apud Galenum ibidem in Commentario, Stupor femoris, *inquit divinus senex,* è regione positi. *Cujus rei causam Galenus edisserit his verbis.* Dolorem, inquit, stupidum intus descendentem, propter vasorum dorso incumbentium, cavæ scilicet venæ magnæq; arteriæ, cum renibus & cruribus conjunctionem ortum habere, putandum est: maximæ namq; in ipsos renes expullulant: post eas quædam haud magnæ in lumbos inferuntur: Posteà utrumq; conceptaculum bipartitò divisum, inutrumq; crus delabitur, per ipsumq; totum distribuitur. *His mox subdit hæc sequentia.* Quicunq; verò per meatus urinarios, aut quasdam membranas aut nervos aut etiam peritonæum renes cum cruribus copulari asseverant; dissecandorum corporum planè imperiti sunt.

9. Jam verò curvitas dorsi, & corporis erigendi impotentia, lumborumq; gravitas haud obscurè Nephritidem à Colico dolore discriminant.

10. De-

10. Deniq; ab ipsis etiam Excrementis distingvuntur. Siqvidem in Nephritide propter obstructionem, initio qvidem urinæ tenues sunt & crudæ, mox cum arenularum sabulo, calculo vel cruore excernuntur. feces etiam alvi ferè duriores, ob liqvorem indè à renibus (siqvidem illi intemperie calidâ laborent) attractum. In Colico autem dolore, qvòd bilis, ob viam per intestina interceptam, ad renes feratur: urinæ initio rubentes & crassæ. Excrementa alvi flatuosa sunt, & stercori bubulo consistentiâ respondent: qvæ si in aqvam conjiciantur, ferè supernatare solent, nec fundum petere. 6. loc. aff. 2.

11. Adduxi in medium differentias distinctivas, qvas vocant, pro Nephritide à Colico dolore distingvendâ. Restat ut ad differentias divisivas me conferam, qvæ Calculo serviant in species dispescendo. Has verò à Subjecto venabor, itemq; à Causâ, & à Generationis modo.

12. Cùm enim, *dicente Hollerio*, Lapides renum & vesicæ neq; eodem colore, neq; eâdem figurâ, neq; eâdem substantiâ, nec in eôdem sexu & ætate similiter concrescere sensus doceat: omnibus eandem causam aut Generationis modum tribuere, aut locum; non minus absurdum videtur, qvàm si in metallis & lapidibus terrenis idem fieret. *infra 6. 1.*

13 Age igitur prima Calculi in species secandi differentia esto à Subjecto, ut alius sit calculus renum, alius vesicæ, alius pulmonum, alius cordis, alius epatis, alius vesicæ fellis, alius ventriculi, alius lienis, alius intestinorum, alius alius partis seu loci affecti. *Vide sup. 1. 4. & inf. 4. 1. itemq; 12. 15.*

14. Altera esto à Causâ materiali, ut Calculus alius sit pituitosus, alius biliosus, alius melancholicus, alius deniq; sanguineus: prout hic vel ille humor plus materiæ confert ad Calculi generationem, de qvâ pòst accuratiùs agemus, qvando Paracelsicæ schola tartarum ad examen vocabimus: Qvandoq; & pus in calculum concrevit.

15. Tertia esto ab Efficiente & Modo Generationis: qvo

alius

alius calculus fit à calore primi gradus per Evaporationem: alius à calore secundi gradus per Agglutinationem: alius à calore tertij gradus per Exassationem: alius à calore per inclinationem: alius à frigore & ipse per inclinationem: alius denique à permistione aqueæ & terreæ materiæ.

16. Sunt præterea & aliæ differentiæ, à qvantitate; qvâ Calculos magnos vel parvos, multos vel paucos: à qvalitate; qvâ calculos alios leves & glabros, alios scabros, salebrosos asperosvé, alios præduros, alios fragiles friabilesq.: item, alios ob colorem albos, alios cineritios, alios flavos, alios rufos aut rubros, alios nigricantes: itemq. ob figuram alios rotundos, alios oblongos, & teretes, alios anguloſos aut sine angulo vocamus. Tum à tempore etiam: undè vel incipientem & primordia ducentem, vel inveteratum, jamq. confirmatum calculum appellitamus. Fit etiam vesicæ calculus post mictum, renum verò calculus ante mictum, docente Galeno. Et si qvid præterea est consimilium differentiarum accidentalium. Qvas qvidem, cùm ipsæ per se speciem non constituant: non jam hic ad amussim prosequor, Sed ad locum Signorum remitto.

17. Cùm hæc scriberem, fortè venit ad me salutandi gratiâ vir reverendus clarissimusq. & doctissimus D. Eilhardus Lubinus Theologus, collega meus, qvi, ubi in sermonem de calculo incidimus, referebat hodieq. apud illustrissimum Pomeraniæ Principem Stetinensem Philippum, lapidem asservari magnitudine ovi gallinacei magni, superficie glabrâ, colore præpulchro lapidem Bezoarticum amulante, qvi terebro exploratus deprehendatur constare ex multis laminis cæparum instar: Fuit ille aliqvo antè tempore à muliere qvadam rejectus, in cujus intestino concreverat. Qvam eqvidem historiam huc obiter adscribere libuit, pertinetq. ad hujus capitis thesin 13. illustrandam. Velim autem Studiosi hanc & consimiles historias posterioribus seculis compertas, cum ijs conferant qvæ Galenus noster scribit 6. de loc. aff. 2. ubi

ubi confitetur se ejusmodi exempla neq; vidisse, neq; ab alio qui viderit, unquam audivisse.

18. Cæterùm Figuram *calculo conferri à sinu in quo generatur,* Colorem *verò à sangvine aliis humoribus variè permisto, & à partis subjectæ tum calore, tum colore, communis est sententia.* Figuram, *inquit Hollerius,* accipit à sinu in quo est, *Et Rondeletius,* Qui in renibus fiunt, figuram sumunt â renum sinu. Si enim in primo sinu retineantur: habent veluti aculeos. Qui verò per ureteras redduntur: figuram in uretere accipere videntur, quia oblongi sunt, & nucleis pinearum similes magnâ ex parte, si non franguntur. Lapides vesicæ calculis fluviatilibus similes figurâ sunt, scilicet, rotundi ferè, vel figurâ lentis, non ex arenulis, sed ex materiâ lentâ, quæ veluti laminas cœparum facit, leves magnâ ex parte qui in Vesicâ initium sumunt. Verùm qui è renibus rudimentum acceperunt, in medio veluti nucleum habent, veluti ex multis arenulis compactum. Quod si continuò è renibus arenulæ descendant: asper efficitur, ob arenam muco permixtam alligatamq;. *Et Platerus scribit, invenisse se in sectione anatomicâ calculos ramosos, qui paulatim accrescendo per omnes renum sinus se dispersissent.*

19. Colorum calculi rationem & differentias Galenus *exposuit 6. Epid. com. 1. §. 6. ad verba Hippocratis,* arenulæq; ruffæ subsident. *ad quem locum Lectorem remitto, cùm longior sit quàm ut huc adscribi debeat.* A sangvine, *inquit doctissimus Hollerius,* calore loci, & partis colore tingi solent. *Idem docet Mercurialis quando ait,* Si fiant lapides, tantùm ex phlegmate viscido, & crasso: lapillorum color cineritius est, Si sangvis commisceatur bilioso: fit subflavus lapillorum color. Quod si major sangvinis copia commisceatur; fit color vel flavus intentè, vel rubeus. Si commisceatur sangvis niger: ut color niger sit, necesse est. *Trincavellius etiam colorum differentias potissimum ad sangvinem aliis humoribus excrementitijs variè permistum retulit, nec video rem hanc, quæ ad ipsa artis opera parum aut nihil pertinet, magnoperè controverti inter Medicos.*

Cap. IV.
De Subjecto Calculi.

1. *Nulla propemodum humani corporis pars est, in quâ nequeat concrescere Calculus. Id quod juvat non authoritatibus modò virorum in arte Medicâ summorum testatum facere, verùm etiam exemplis & historijs notatu dignis illustratum.*

2. *Hollerius ait in Avernia, mulieri cuidam nobilissimæ 53. calculos repertos esse in* Folliculo Fellis. Observavimus, *inquit idem author*, concretos in Capite & Utero mulieris, cui dissecandæ in scholis publicè præfuimus. Puero cujusdam sutoris in Mesenterio inventi. Duabus mulieribus in Pulmonibus. Multis in Articulis, Jecore, Liene, Ventriculo. Adhærent sæpe Vesicæ, Cranio, Utero. Musa refert mulierem ex ano quinq; lapides reddidisse. Gal. 5. de loc. aff. meminit cujusdam, qui è thorace veluti grandines expuebat. Alberto Savonarolæ, mortuo 10. calculi inventi in vesicâ, magnitudine & figurâ ovi columbæ, singuli pendentes plusquam drachmas quinq;, omnes simul uncias sex, ut scripsit Musa. *Idem Hollerius Com. in Coac. prænot. & schol. de ardore urinæ.* Mulieri, *inquit*, cuidam intolerabili cruciatu urina purulenta profluebat. Mortua post quartum mensem & dissecta: duo calculi in Corde cum multis absessibus parvis in venti sunt: renibus integris, & vijs omnibus urinæ dicatis. *Vide & Andr. Laur. Anat. lib. 9. quæst. 12.*

3. *Trincavellius & ipse complures historias adducit eorum, quibus Venetijs, in* Intestinis, *in* Abscessibus, *in* Pulmonibus *in* Jecinoris *substantiâ lapides inventi sint, & inter cæteros virum excellentem commemorat Friginelicam, qui post vehementes dolores ventris inferioris, lapillum* per inferiorem alvum *exoreverit. Cui exemplum consonat quod adduximus 3. 17. & alia plura mox commemoranda.*

4. *Ron-*

4. *Rondeletius.* Erit Calculus, *ait*, in VESICA, & in RENIBUS, ut Grando in PULMONIBUS, & Lapis in COLO, ut refert Paulus. *Et iterum.* Lapides pulmonum Grando dicuntur, qvia grandini aſsimilantur in duritie & ſubſtantiâ. Lapis è colo inteſtino rejectus Veſicæ calculis ſimilis eſt. At qvi ab ABSCESSU redduntur: oſsibus ſimiles eſſe ſolent. Tales ab abſceſſu epatis matris doctiſsimi cujusdam Nemauſenſis redditos vidimus, & ab abſceſſu mulieris Montisbani: qvæ mulier poſt varios dolores tabida erat, hæcq; menſtrua nunqvam paſſa fuerat, & tamen peperit duodecies.

5. *Julius Scaliger, Medicorum & Philoſophorum, qvotqvot ſeculum noſtrum vidit facilè primus, ad Cardanum ſcribens*, De lapidibus, *inqvit*, non naturalibus poſſum narrare tibi tum nova tum admirabilia. In JECORE & aliorum olim, & poſtremò Senatoris inventos lapides atros, qvi in aqvam injecti intumuere. Deſperatâ ab omnibus valetudine ſenem ſummo dolore INTESTINORUM, cùm videremus carere febre, neq; tumorem extare qvempiam, qvotidianis dejectionibus alvum exonerare, pondus in ipſis inteſtinis ſentire: fatali qvadam conjecturâ lapidem ſubeſſe rati, enemata ex bdellio & oleo noſtro Telino, croeo, malagmate, butyro, certo decocto, infundi juſsimus. Tertio clyſmate magna vis lapidum educta eſt. In RENIBUS & VESICA vulgares ſunt. In SANGVINE craſſam deprehendimus ſaburram. In remigis HEPATE unum duriſsimum, carnei coloris, diluti. In PULMONIBUS qvæſtoris Albretici duriſsimos aliquot, æqvabili ſuperficie, argillaceo colore. Multos è VESICA, ceparum more, lamellis incruſtatos, interiore ſubinde coloris diverſi. Duo præter hoſce genera. Utrunq; apud me eſt. Ex Bovillis oppidanus noſtris adjutus medicamentis eminxit VITREUM: ſanè ex illâ nobili Praxagoræ pituitâ. Dum mingeretur, albuminis mollitie: Emiſſum vitri duritiâ, ac ſplendore. Senatoris filius ejecit pultis modò multos ac maximos: qvi aëris contactu poſteà in gypſeam tum ſpeciem tum firmitatem concrevere. Hic qvoq; nunc rectè valet. Ex Podagricorum JUNCTURIS, muriâ & caſeô

vetustô, & pyritæ usti scobe, ruptâ cute, plurimos extraximus, candore steatis, duritiâ invictos. Ex ORA PALPEBRÆ, ubi hordeolorum collectiones fiunt, lapillum eximi jusimus, tritico, figurâ, colore, magnitudine parem, duritiâ superiorem.

6. *Forestus & è* LINGVA *calculum erupisse vidit Schol. Obser. 18. lib. 24.*

7. *Non videtur pratereunda hoc loco admiranda historia* LITHOPÆDII *seu Embryi in utero materno per annos 28. contenti, petrefacti & post matris mortem exsecti, in vetusto Gallorum Senonum oppido 16. Maij. Anno 1582. quam equidem historiam ad posteros literis consignârunt, & suum de tantæ indurationis causis judicium prodiderunt Joannes Albosius Heduus, & Simon Provancherius Lingonensis, Medici apud Senonas clarissimi & doctissimi.*

8. *E superioribus patet in qualibet humani corporis parte nasci calculos seu lapides. At verò cùm in disputatione hac propositum mihi sit, non de cujuslibet partis, sed de renum & vesicæ tantùm calculo agere: intra hujus deinceps metas me continebo.*

9. *Tenendum itaq; est, Omnem renum calculum, vel in ipsâ renum carne inhærere, vel in eorundem cavis: ijsdemq; in locis generari. Lapidem autem vesicæ, vel interiori vesicæ tunicæ adhærere, vel in ejus capacitate volutari: ibidemq; vel generari, vel à renibus ortum, augeri.*

10. *Sunt ergo Calculi & Lapidis Subjectum* QVOD, *Renes & Vesica. Subjectum autem* QVO, *seu πρῶτον δεκτικὸν, quod Fundamentum appellitant, ipsa harum partium dispositio secundum naturam, quæ mutatur à calculo, ut causa considerato. Vid. disput. nostr. 2. de morb. diff. th. 10. & Disp. 1. thes. 44.*

11. *Scribit Mercurialis, neminem esse qui dubitet, quin in renum cavo generentur Calculi.*

12. *Reliquum itaq; est, ut Calculos in ipsâ etiam horum substantiâ generari uno & altero exemplo demonstrem.* Ego, *ait*

idem

idem author, in Episcopo Viterbiensi, qvi obijt morbo renali, vidi lapidem genitum in substantiâ renum satis magnum.

13. *Refert Cal. Rhodiginus lib. 3. histor. admir.* mulierem fuisse, qvæ cùm laborasset hoc dolore & pruritu, & cùm ipsa interdum scalperet circa renes ungvibus, fecisse ulcus, ex eoq; ulcere extraxisse 18. lapides.

14. *Et Platerus de renum calculo agens, scribit in sectione anatomicâ reperisse se* calculum, qvi absumptâ renis substantiâ, solâ membranâ crassâ involutus, tanqvam in marsupio suspensus, illic ubi ren fuerat, hæserit.

Cap. V.

De Causa Calculi continente.

1. *Hoc loco ante omnia repetimus & reponimus Corollarium nostrum 9. qvod ad Disputationem nostram de Alopeciâ & Ophiasi nuper appendimus, his verbis:* Causæ Connexæ diversitas seqvitur diversitatem Generis proximi.

2. *Agè prodeat ergo in medium Calculus ut Causa obstructionis renum & vesicæ, prout eum consideravimus 2. 5. Ajo hujus causam proximam ferè esse qvadruplicem consociatam. De qvo Causæ genere vide Disput. nostr. 1. de morb. differ. thes. 190. 226. 228. 229. 230. 231. & 234.*

3. *Sunt autem causæ consotiatæ ad generationem calculi, ut plurimùm immediatè concurrentes 1. materia calculifica 2. formalis renum & vesicæ proprietas. 3. earundem partium proprietas materialis. 4. earundem intemperies sicca. Dicam ordine de singulis.*

4. *Materia ex qvâ generatur Calculus Galeno est humor aut succus crudus, exustus, arefactus q., crassus, tenax, glutinosus & viscidus 6. Epid. com. 1. S. 6. & lib. de ren. aff. cap. 2. Augescit calculus, inqvit Rondeletus, ab eadem materiâ, ex qvâ fit, scilicet,* à crudis, lentis, limosis succis. *Et Erastus Consil. 26.* Calculus vesicæ ex lentâ pituitâ, partibus humidioribus discussis,

coalescit. *Undè Quercetanus.* Dogmatici *inquit*, constituunt humorem quendam viscidum crassum atq; terrestrem, item pituitam salsam, & biliosam ac æruginosam quandam materiam torrefactam aut similem quandam. *Et iterum.* Dogmatici & Hermetici consentiunt in eo, Generari & reperiri in corpore humores crassos atq; terrestres, quiq; sint salsi. *infr. 11. 10.*

5. *Æquum est autem ut Hippocrates & Galenus, alijq; Dogmatici suorum ipsi verborum sint interpretes. Etenim execrabilis est illa Paracelsistarum cavillandi libido, quâ verbis Galenicis sensum affingunt alienum, & mox confutationem dirigunt adversus illud figmentum suum, sensu Galeni intacto: Andabatarum more gladium in tenebris ventilantes. In quo equidem pugnæ genere Quercetanus Choragum & Coryphæum agit, sicut demonstrabo postea suo loco.*

6. *Quàm latè sese pandat Humoris vocabulum, Quæ sit Humoris definitio Galenica, & quot species Humor ambitu suo complectatur: prolixè edisserere non est jam hujus loci. Qui volet hac de re Fernelium videat 6. Physiol. 9. & Duncanum 2. Art. Med. 8. neq; est necesse hoc vel à Quercetano vel alio id genus interprete scisciteri.*

7. *Humor & Humiditas (etsi quandoq; promiscuè usurpentur) Latinis differunt sicut Græcis ὑγρὸν & ὑγρότης, estq; ὑγρὸν seu Humor Medicis Dogmaticis propriè, Quicquid in corpore profluens liquidumq; cernitur, sive id chylus est, sive mucus, sive sanies, sive pus, sive sputum, sive urina, sive sudor, sive sanguis, sive pituita, sive bilis tum flava tum atra.*

8. *Genus hoc omne si in species dispescas; exurgent duo humorum Genera, ut omnis in humano corpore humor vel alimentarius sit vel excrementitius.*

9. *Quando Galenus alijq; Dogmatici statuunt humorem crudum &c. Calculi causam materialem: tum non humorem alimentarium intelligunt, sed excrementitium & toto genere inutilem.*

10. *Sed*

10. *Sed neq; quemlibet excrementitium intelligunt, Non enim ex quolibet (quod ajunt) ligno fit Mercurius, Non aqueum illum intelligunt à Quercetano definitum, non mucosum à Platero rejectum, sed Praxagoræ nobilem illam pituitam vitream, de quâ Galenus 2. loc. aff. 5. & quam magnus ille tum Philosophus tum Medicus, magnus inquam ille. Jul. Scaliger, & rejectam, & post rejectionem contactu aëris in lapidem conversam vidit indicavitq;, sed humorem crudum, sed lentum, sed limosum, sed uliginosum, sed salsum, sed viscosum, sed aruginosum, sed cœnosum, glareosum, terrestrem, sed exustum arefactumq; intelligunt.*

11. *Vocatur autem iste humor excrementitius quandoq; grumosus sanguis, quandoq; cruda, salsa, acida, gypsea, viscida, lenta, vitrea pituita, quandoq; adusta, aruginosaq; bilis, quandoq; crassa & terrea melancholia: prout hic vel ille humor, alimentarius plus materiæ excrementitiæ deponit & ad generationem calculi confert. Sunt enim humores non morborum Subjecta, sed Efficientes. Fernel. 1. de morb. diff. 11.*

12. *Vocatur idem generaliore nomine fex, saburra & crassitudo, sanguine sero & urinâ permista, quibus equidem vocabulis uti etiam si vellent poterant Hermetici citra omnem vini injuriam, quod nunc, eheu! spoliatum se conqueritur tartaro suo, quarti modi proprio, nulla ratione nulloq; jure ad homines translato.*

13. *Altera concurrentium Causarum à doctissimo Duncano traditur his verbis.* Causa efficiens immediata concretionis & generationis Lapidum est humidi redundantis exiccatio sive consumptio.

14. *Tertia consociatarum causarum est ipsa Materia in Quâ, hoc est, partis subjectæ aptitudo & habilitas, de qua Galenus lib. de Caus. procatarct. cap. 1.* Est, *inquit*, & aliud non minus consvetum, cùm causam in materiam referimus. *Et*

aliquot

16

aliqvot interjectis. Si qvis, *inqvit*, calcitratus in pugnâ, indè fuerit mortuus: qvi calcitravit, Causa effectrix mortis fuit. Instrumentum autem crus fuit. Materia corpus illius, qvi fuit calcitratus. *Item*, Cùm ex frigore continentis aëris vel æstu læditur qvispiam: Aër continens effectrix causa est. Materia corpus qvod afficitur.

15. *Est autem, dicente Galeno, semper necesse, ut sit conventus alicujus patientis, qvod vicem Materiæ habeat, & alterius quod circa ipsam agat & Efficientis rationem teneat.*

16. *Illum nos* CONVENTUM *appellamus aptitudinem & habilitatem Materiæ in Qvâ, seu Partis subjectæ.*

17. *Si qværas qvidnam sit illa Materiæ subjectæ ad generationem calculi aptitudo? Respondeo esse partis subjectæ proprietatem tum materialem tum formalem. Materialis qvidem proprietas est nimia renum raritas similaris: qvippe qvos densiores esse oportebat, qvàm ut materia calculifica in ipsorum carnem posset penetrare. De hac Materiæ Causalitate vid. disput. nostr. 1. de Morb. differ. thes. 236. 237. & 238. Et disput. 2. thes. 25. & seqq.*

18. *Proprietas verò Formalis, qvam Consociatarum causarum qvartam facimus, est ipsa partis subjectæ* NATURA. Non omnis fert omnia tellus, *dicente Poëtâ Philosophô:* Qvippe solo Natura subest. *De Actione Forma vide disput. nostr. 1. de morb. differ. thes. 228. 229. 230. 231. 234. & 239. Et disp. 2. thes. 15. 16. 43. 44. 45. 46. 48. 50.*

19. *Et qvidem hactenus de qvatuor causis concurrentibus, qvæ consociatim singulæ operam suam in unum conferentes, unicam aliqvam causam compositam constituunt, gignendi calculi corporis tophacei proximam: Qvomodo qvatuor equi concurrentes, & consociatim singuli vim suam in unum conferentes, vim constituunt compositam qvaternunam trahendo currui causam proximam. Salvô tamen, Qvod non sit necesse ut in omni*

semper

semper calculo gignendo fiat concursus omnium quas diximus causarum, sed quod efficientium quandoq; una sufficiat, quandoq; verò plures pariter concurrant. Ex quâ quidem diversitate causarum Modos exurgere gignendi calculi diversos, sequenti capite docebimus.

20. Fuit Causa proxima Calculi ut corporis tophacei: pergendum deinceps est ad considerationes reliquas.

21. Quod si igitur Calculum consideraverimus ut Obstructionem: jam ille cujus causam continentem hactenus quæsivimus, ipse personam induet Causæ Continentis, fietq; Causa obstructionis proxima.

22. Idem corpus tophaceum est Causa continens Morbi in numero aucto.

23. Sin autem Calculum consideres ut partis subjectæ intemperiem siccam: utiq; hæc erit à siccatione rerum siccantium, quæ à Galeno quatuor potissimùm numerantur. 1. Siccantia extrinsecus admota. 2. Siccantia intrinsecus assumpta. 3. Humidi evacuatio & retentio sicci. 4. Corporis atq; animi motus. De quibus in Instit. Med.

24. Porrò si Calculum mente conceperimus, ut morbum similarem materiæ: causa hujus proxima erit vitium materiæ in Quâ. De quo vide disput. nostr. 1. de morb. differ. thes. 236, 237. & 238. Tum etiam disput. 2. thes. 35. & 36.

25. Si sub voce Calculi comprehenderimus morbum formæ causa ejus proxima erit vitium formale, de quo abundè diximus disput. 2. de morb. differ. cap. de morb. formæ, quod incipit à thes. 39.

26. Sin Calculum acceperimus pro Symptomate excrementi mutati: causam proximam maximè habebit Intemperiem.

27. Denique si Calculum acceperimus pro solutâ Unitate: causa ejus proxima erit idem corpus tophaceum.

28. Cæterùm meminisse oportet calculosam illam, quam indicavi

18

dicavi, dispositionem partis subjectæ, etsi acqvisititia qvandoq; sit, ut plurimùm tamen esse hæreditariam. Ut mirer Calculum qvi negaverit morbum ferè esse hæreditarium, inter tam multos, unum repertum esse Mercurialem.

Cap. VI.

De modo Generationis Calculi.

1. *In vestibulo hujus capitis ante omnia repeto & repono verba doctissimi Hollerij qvæ citavi 3. 12. nempe Calculis qvibuslibet gignendis modum nec unum esse nec eundem.*

2. *Cùm itaq; accuratiùs considero & mecum perpendo qvæ de modis generationis calculi à Medicinæ Scriptoribus sparsim traduntur: videor mihi ab Efficiente modos gignendi calculi colligere in universum sex: qvorum qvatuor sint ab Efficiente, hoc est, exsiccante Calore, (calor enim non qvà calefacit, sed qvà siccat causa immediata est calculi) unus ab efficiente seu exsiccante Frigore, & deniq; unus neq; à Calore factus, neq; à Frigore, sed ab alijs Efficientibus causis. Agam ordine de singulis.*

3. *Occurrunt in hac contemplatione tres veluti gradus Caloris exsiccantis, qvorum primus calori assimilatur Balnei maris: qvem Galenus 6. Epid. com. 3. §. 15. Insitum & Mediocrem appellat, alij debilem.*

4. *Non oportet autem per Mediocritatem hanc intelligere ἐυκρασίαν, aut calorem ἔυκρατον: qvippe qvem inter causas morbificas numerare utiq; per absurdum fuerit, sed moderato tepidiorem, ut Galenus ibidem loci exemplo tophorum declarat, qvi apparent in aqvis spontè calidis,* si moderatis tepidiores sint.

5. *Iterum dico, illum intelligit Galenus Calorem* Mediocrem, *qvi à mediocritate non multum recesserit qvidem, sed qvi tamen in latitudine morbos â inveniatur, & partis actionem lædat, facto sensibili à mediocritate recessu. Vide Galen. lib. de differ. morb. cap. 4.*

6. *Pri-*

6. Primus itaq; Calculi gignendi modus ab hoc primi gradus calore exsiccante fit, quando humoris calculifici pars tenuis vi caloris extranei, nempe partis subjectæ, evaporatur, pariterq; pars crassior exsiccatur. Gal. lib. de renu. aff. cap. 2. Modus 1.

7. Nullus enim datur in corpore humano humor aut succus exactè ὁμοιομερὴς, ne ipsum semen quidem, de cujus dissimilibus partibus diximus Diss. 1. de morb. differ. thes. 147. & seqq. Quando ergo humor calculificus à calore renum elixatur, parte ejus tenui, per evaporationem abeunte in auras: reliqua pars crassior coagulata & exsiccata in calculum facessit.

8. Declaratur hic modus exemplo lixivij, salsuginis, aquæ marinæ, aliorumq; liquorum, quorum parte tenuiore vi Caloris exhalante & absumptâ: pars crassior reliqua exsiccata abit in lapidem. V. g. Si lixivium lento igne coquas tantisper dum pars tenuior exhauriatur: residebit fex crassior, quæ diutiùs cocta, & magis magisq; exsiccata, tandem indurabitur lapidescetq;: Id quod Cheirurgi nôrunt, qui è forti lixivio, quale est clavellatum, lapidem excoquunt causticum. Hoc modo aquam marinam coxeris in salem. Et Phamacopæi hoc modo salia parant, herbas comburendo in cineres; è cineribus lixivium faciendo; lixivium clarificatum seu filtratum deinceps in salem coquendo; & demùm per calcinationem sali extracto candorem & nitorem conciliando.

9. Neque verò opinandum est liquoribus tantùm crassis, ut lixivio, aquæ marinæ, salsugini &c. fecem quandam inesse, sed ipsis etiam aquis quibusq; limpidissimis eam non deesse demonstravit Galenus 6. Epid. com. 3. §. 15. exemplo vasorum, ubi calefit aqua quotidiè, in quibus lapis coalescere cernitur. Et in lib. Hip. de aer. aq. & loc. cap. 5.

10. Atq; hæc quidem hactenus de vi mitioris Caloris extranei, partes humoris calculifici tenues absumente, & crassas exsiccante, cogente, inspissante, indurante.

11. Secundus modus gignendi Calculi fit à partis Calore siccan- Modus 2.

ſiccante ſecundi gradus, qui non ineptè comparabitur cum calore diſtillatorio, qui in arenâ & cineribus deprehenditur, quando per hos fit diſtillatio.

12. Dicitur autem hic Calculi generandi modus fieri per Agglutinationem: non quod ab hoc abſit evaporatio, ſed quod adſit evaporatio fortior, author Agglutinationis: quando nimirum renum arenulæ jam grandiuſculæ, mediante veluti glutine quodam conglutinantur. Undè calculi fiunt inæquabiles, ſcabri, aſperi & ſalebroſi. Indicavit hunc modum Hollerius, ex Musâ deſumptum. Celebratur idem & ab alijs plerisq;.

13. Etſi verò vocabulum Agglutinationis ſeu Conglutinationis laxâ ſignificatione ad omnes modos promiſcuè adhibeatur: huic tamen ſecundo modo ſtrictiore ſignificatu & magis propriè videtur convenire.

14. Declaratur hic modus exemplo Cæmentariorum, qui in compingendis lateribus jam coctis, terrâ argillosâ utuntur pro glutine, aut calce, quandoq; & ſale in focorum pavimentis ponendis.

15. Quando autem partium conglutinandarum altera adhuc mollior & humectior eſt: non indiget glutine, ſed ipſa ſibi pro glutine eſt, & ſuapte ſponte mutuoq; adhæſu agglutinatur. Prout hirundines in nidificando nullo utuntur glutine, ſed materiam molliorem & adhuc humectam duriori & jam antè exſiccatæ ſubinde apponunt agglutinantq;.

Modus 3. 16. Tertius modus procreandi Calculi fit à renum Calore exſiccante tertij gradus, per Exaſſationem materiæ viſcidæ. Quemadmodum argillosa terra in fornacem immiſſa, ibidem in lateres exaſſatur. Fit potiſſimùm in ipsâ renum carne, cujus exemplum luculentiſſimum è Platero adduximus.

Modus 4. 17. Quartus à ſiccante Calore modus fit à veſicæ Calore inflammatorio, veſicam coangustante & conſtringente, quem modum Galenus luculentiſſimè edidit Com. in lib. Hippocr. de aêre aqvis & locis, cap. 5. M. Po-

18. *Potestq; hic Modus dici per inclinationem, perindè atq; modus Qvintus.*

19. *Fit autem edisserente Galeno,* cùm Vesicæ stomachus à Calore inflammatur. Qvando enim Vesica magis qvàm pro naturâ, fuerit calefacta, urinam non dimittit, sed in seipsâ concoqvit & adurit, & qvod qvidem tenuissimum in ipsâ est, excernitur, & qvod purissimum est transit & emingitur. Qvod verò crassissimum ac turbidissimum est, coacervatur & concresit, primùm qvidem parum, deinde majus fit. Dum enim volvitur ab urina; qvicqvid crassum compactum fuerit, ad seipsum adaptat, atq; sic augescit & in totum concrescit. Et cùm urinam emittit: ad vesicæ stomachum allabitur ab urinâ impulsum, & urinæ emissionem impedit, & dolorem vehementem exhibet. Qvare pueri calculosi fricant ac trahunt pudenda. *Vide eundem* Galenum 6. Epid. com. 1. §. 6. g. Et lib. de ren. aff. cap. 2.

20. *Qvintus gignendi Calculi modus sit nullo subjecta partis calore adminiculante, sed exsiccante frigore, & contingit potissimùm in vesicâ: Qvando saburra sangvinis in venis & visceribus perassata, unà cum sero seu urinâ per venas emulgentes ad renes atq; inde per ureteras in vesicam delata, fundo & lateribus vesicæ, partibus suapte naturâ frigidis & siccis adharesit, ibiq; in lapidem concrescit. Vid. infra 7. 20. Indicavit hunc modum haud obscurè ipse Galenus 6. Epid. Com. 3. §. 15. qvando disertè scribit crassitudinem urinæ puerorum, qvæ in renibus eorundem, vi caloris insiti, instar picis, resinæ, sevi, ceræ aut mellis, attenuata, fusa dissolutaq;, & actionum firmitate, qvæ in pueris valida est, facilè in vesicam percolata fuerat; ibi iterum cogi & conspissari, ob duas has potissimùm causas, ob vesicæ inqvam tum frigiditatem tum capacitatem. Idem de frigiditate Vesicæ pronuntiat & lib. de ren. aff. cap. 2. Eundem modum indicavit & Cæsalpinus mediicus Romanus; refertur & ab Hollerio.* Modus 5.

21. *Per Frigus intelligimus non frigus extremum & congelans, sed quod in latitudine morbosa, recessius gradu ei Calori respondeat, de qvo diximus thesi hujus capitis 5.*

22. *Illustratur exemplo matulæ urinariæ negligentiùs emundatæ, & cadi seu dolij vinarij. Etenim urina calida in matulam excreta, ubi refrixit, crassiorem fecem in matulâ deponit, quæ quidem fex portione tenuiore per vasis inclinationem effusâ, matulæ lateribus & fundo adhærescens, ibidem incrustatur in lapidem. Vinum etiam quod sub æstu caniculæ in cellis, dicente Plinio, fervet, fervefactione peractâ fecem suam deponit, quæ vinô exhaustô in dolij lateribus & fundo veluti in lapidem coalescit, & incrustatur, quem Tartarum propriè appellamus. Fortassè non ineptè huc quoq; retulerimus exemplum Crystalli, quod è nitro paratur hoc modo. Nitrum dissolvitur in aquâ fontanâ & fit lixivium. Hoc lixivium percolatur per pannum laneum, aut alio aliquo modo filtratur, ut fiat purum. Deinde coquitur ad medias. Decoctum effunditur in vas ligneum, ubi concrescit in cones, loco frigido subterraneo, & maximè tempore nocturno. Tum illa etiam huc poterunt accommodari quæ 7. 15. & deinceps de Frigore ceu Calculi nonnunquam Efficiente in medium proposuimus.*

23. *Pertinent præterea ad hunc modum illustrandum ea, quæ Galenus 6. Epid. Com. 3. §. 10. de aquâ coctâ, & postmodum refrigeratâ, per quàm elegantissimè disseruit.*

24. *Sed enimverò juvat verbis Galenicis Modum hunc aliquanto explicatiorem reddere.* Hujusmodi urinæ crassitudo (*inquit 6. Epid. com. 3. §. 15.*) multa collecta, & in unum coiens, cùm semel non apto tempore excreta, intùs diutiùs permanserit; coagmentandi concrescendiq; initium capit. Eo verò principio peracto, facilè posteâ, qvicqvid iterum crassi in vesicam delabitur, priori agglutinatur, majorq; inde tophosus calculus redditur.

Modus 6. 25. *In Sexto gignendi calculi modo neq; Calor neq; Frigus Efficientis rationem habent, sed sola proprietas specifica tum materiæ ex quâ, tum materiæ in quâ.*

26. Quia

26. Quia verò de Efficiente Frigore, quantum satis est, dixisse videmur in Modo Quinto; & jam hoc loco eorum sententia accuratiùs refutanda venit, qui ex authoritate Galeni calculum omnem ad Calorem (quantumvis ille Causæ proximæ rationem habere nequeat) ceu ad unicam Efficientem referre mordicùs conantur: juvat sanè ea quæ contra Calorem, & pro confirmatione proprietatis specificæ utriusq; materiæ annotavimus, ad illustrandum hunc modum in medium adferre.

27. Imprimis citamus ipsissima ipsius Galeni verba 6. Epid. com. 3. §. 15. ubi pro nescio equidem quâ ratione conceptâ Hippocratis sententiâ salvandâ, timidè confitetur caliditatem, quam ingenitam pueri habent, quam & insitam, & mediocrem subindè vocat, ad coagmentandum aliquid facere: verùm non ipsam præcipuè, sed materiæ ex quâ fit lapis qualitatem ipsius compactionis causam existere.

28. E quo equidem contextu apparet Galenum in generatione lapidis qui concrescit in vesicâ puerorum, parum aut nihil tribuere calori. Maximè cùm perabsurdum videatur calorem naturalem, ingenitum, insitum, implantatum, mediocrem, moderatum & temperatum, inter causas ponere morbificas. Adde quòd Galenus Hippocratis de calore sententiam pro certo affirmare non audentis indicativam esse haud obscurè innuat.

29. Peto autem veniam mihi dari, si, Galeni & aliorum authoritate salvâ, quid mihi de allegato loco Hippocratis videatur, liberè dicam. Existimo itaq; Hippocratem citato loco non calorem insitum lapidis causam statuere, sed causam reddere, Cur pueris non fiat concretio in renibus ante mictum; sed potiùs in vesicâ post mictum? Id quod utiq; istius loci unicum & verum est τὸ κεφάλαιον. Respondet quia calidiores. Calor enim insitus, qui in pueris est validus, non patitur materiam calculificam in renibus puerorum concrescere, sed eam attenuat, fundit, dissolvitq;, ut unà cum sero sanguinis facilè expellatur in vesicam.

ficam. In vesicâ igitur post mictum colligitur, concervatur concrescitq; aliys à causis, quas subindè usq; ad nauseum inculcavimus, Modo 4. Modo 5. & demum jam hic Modo 6.

30. Cæterùm positæ sententiæ nostræ qvâ diximus non in omni semper generatione calculi, calorem partis subjectæ, puta renum aut vesicæ, requiri; ne ut Causam Antecedentem qvidem: Assertores & Suffragatores alios insuper habemus Medicos haud postremæ notæ, inter qvos est Josephus Qvercetanus, qvi disertis verbis ponere non est veritus. Materiam ex qvâ fit calculus, sine calore ullo extraneo, suapte naturâ, vergere ad coagulationem & indurationem.

31. Et doctissimus Fernelius scribit in hæc verba. Efficientem causam omnes qvidem profitentur immoderatum esse renum calorem, qvi humores perurens, siccans & obdurans cogit in lapidem: At certè alia statuenda causa efficacior, longèq; crebrior, INSITA RENUM ARENOSA CALCULOSAQVE CONSTITUTIO.

32. Qvo equidem in contextu Ferneliano duo occurrunt notanda. 1. qvod communem ponat sententiam de Calculi Efficiente, qvæ sit Calor perurens, siccans, indurans: de qvâ qvidem Calculi Efficiente cap. 7. à thesi 11. usq; ad thes. 15. abundè dixisse videmur. 2. alterum in textu Fernelij notandum, illud est, qvod asserat, dari & aliam qvandoq; calculi efficientem à Calore diversam, & hanc qvidem tum efficaciorem tum crebriorem; nimirum Insitam renum arenosam calculosamq; constitutionem: qvam nos 5. 16. aptitudinem & habilitatem Partis subjectæ appellavimus, & deinceps ibid. thes. 17. & 18. explicavimus.

33. Porrò ut ostendamus qvandoq; non à calore calculos & lapides in homine fieri, adducimus exempla rerum externarum, nempe lapidum fluviatilium, qvibus authores gravissimi Platerus imprimis aliiq; pleriq; omnes ad rem de qvâ agitur declarandam illustrandamq; utuntur.

34. Qver-

34. *Quercetanum allegavimus 7. 21. affirmantem* in multis fontibus aqvisq; frigidissimus ligna ipsa tandem lapidescere. Et in Averniâ rivulum qvempiam ex propriâ spumâ pontem sibi lapideum construere: ubi tamen nullus fervor nullusq; calor.

35. *Joannes Albosius medicus apud Senonas clarissimus, edisserens historiam fontis Veronæi, cujus aqva subjectum lutum, in qvod guttatim decidit, in lapides indurat, λιθίαν illam nullâ ex parte ad calorem refert, sed partim ad frigus, de qvo diximus in Modo gignendi calculi qvinto: partim verò ad* solum nativum, *hoc est, ad loci subjecti Naturam, seu proprietatem tum materialem tum formalem.*

36. *Scaliger arbitratur* lapides fluviatiles ex aqvâ & terrâ confieri plurimâ. Ubi multum aqvæ: fusiles esse. In qvibus parum aqvæ: non liqvescere, sed comburi. *Efficientem verò ponit Formam.* Qvæ forma, *inqvit,* primam generat concretionem, eadem aggenerat etiam appendicem ex eâdem materiâ, qvam subindè nacta est.

37. *Scribit Plinius lib. 2. cap. 103. In Ciconum flumine & in Piceno lacu Velino lignum dejectum, lapideo cortice obduci. Itidemq; & in Surio Colchidis flumine: adeò qvidem ut lapidem plerumq; durus adhuc integat cortex. Undè de Ciconibus Ovidius.*

Flumen habent Cicones, qvod potum saxea reddit
Viscera: qvod tactis inducit marmora rebus.

38. *Similiter in flumine Silaro ultra Surentum; non virgulta modò immersa, verùm & folia lapidescunt.*

39. *Corallum contrà sub undis viridans mollisq; est frutex: mari verò exemptum contactu aëris ilicò fit lapis. Et refert Scaliger,* Qvendam adjutum medicamentis eminxisse lapidem vitreum; sanè ex illâ nobili Praxagoræ pituitâ. Dum mingeretur: albuminis mollitie. Emissum: vitri duritiâ ac splendore.

40. *Percensui hactenus ab Efficiente Modos gignendi calculi*

tuli sex, quorum primus fiat à siccitate caloris primi gradus, alter à siccitate seu exsiccatione caloris secundi gradus, tertius à siccitate caloris tertij gradus, quartus ab exsiccatione caloris inflammatorij, quintus ab exsiccatione frigoris, sextus naturalis qui fiat partim à materia ex quâ, partim à loci subjecti, proprietate tum materiali tum formali: nullâ neq; caloris neq; frigoris habitâ ratione.

41. His si quis septimum addere velit: non repugnabo: nempe mixtum, qui nonnunquam fiat à concursu complurium causarum. V.g. siccitatis, quæ vel à calore sit vel à frigore, aptitudinis materiæ ex quâ, & aptitudinis materiæ in quâ, tum materialis tum formalis.

42. Cùm verò omnia illa quæ Galenus 6. Epid. com. 3. §. 15. quæq; Galenum secuti Hollerius & Platerus de generatione lapidum in aquis thermalibus non calidis modò verùm etiam gelidis, præterea q; & in fluviorum alveis nascentium commemorant, & ad lapidum calculorumq; in corpore humano generationem accommodant, huc attexere longum sit: juvat sanè horum sententiam in pauca veluti capita cogere & brevi summâ comprehendere, quæ hæc est.

43. Primùm, Aquæ illæ non ita sunt puræ, quin materiam uliginosam, limosam, lentam, cænosam, terream, glareosam, quandoq; salsam, acidam, aut quocunq; alio secum genere infectam contineant, & secum vehant. 2. Illa materiæ crassitudo seu fæx in fluviorum alveis & thermarum ductibus inter fluendum adhæresci locis potissimùm siccioribus, quæ locorum siccitas, procul omni calore, quandoq; vel sola sufficit ad materiam, quæ præterfluxura erat, arrestandam retinendamq;. 3. Præcipua verò compactionis seu concretionis causa existit ipsa materiæ ex quâ fit lapis, qualitas: quæ suapte naturâ, vel nullo extrinsecus accedente calore aut frigore, ad concretionem ipsa sibi abundè sufficit: Promptiùs tamen materia illa concresceret, si calor exter-

nus

mus (id quod nonnunquam fit) aut frigus aliundè accesserint.

4. Non fit autem ea lapidum generatio peraquè in quacunq; alveorum parte, sed in ijs solùm particulis, quarum natura gignendis lapidibus apta & idonea est. Illa verò natura absit ut in solâ siccitate, quam diximus aut etiam calore, si quis forsan adfuerit, frigoreve consistat: sed quàm maximè sita est in partis proprietate tum materiali tum formali. Etenim dicente Poëta Philosophô, Non omnis fert omnia tellus: qvippe solo natura subest. Et Scaliger, Qvæ forma, inqvit, primam generat concretionem, eadem aggenerat etiam appendicem ex eâdem materiâ, qvam subinde nacta est.

44. Qvæ qvidem omnia si jam in unum colligamus: exurgent qvatuor lapidum fluviatilum gignendorum Efficientes causæ. 1. aptitudo materiæ ex qvâ. 2. loci subjecti siccitas. 3. ejusdem proprietas materialis. 4. ejusdem proprietas formalis.

45. Consimilem in modum in renibus & vesicâ hominis generantur lapides. Qvandò materia ad calculum generandum apta unà cum sero è venis & arterijs ad renes, atq; indè porrò ad vesicam devehitur, ibiq; ob qvatuor jam dictas causas, nempe ob materiæ Ex Qva aptitudinem, ob materiæ In Qva siccitatem, ejusdemq; aptitudinem, tum materialem tum formalem partibus adhæret, & concrescit in lapidem.

Cap. VII.

De Causâ Calculi antecedente.

1. De Causâ Calculi connexâ egimus cap. 5. jam & Antecedentem edisseramus.

2. Est autem Calculi Causa antecedens fex crassitudo & saburra sanguinis in venis & arterijs contenta, mox unà cum sanguinis sero per venas emulgentes ad renes excernenda.

3. Cùm dico fecem sanguinis: voce sanguinis totam ex

quatuor humoribus permixtam sanguinis massam & intra vasa adhuc coërcitam intelligo. Per fecem autem serumq; sanguinis accipio omnium eorundem humorum serum & fecem commixtam.

4. Suum enim cuiq; humori serum, & suam cuiq; fecem excrementitiam esse, nemo est qui ignoret.

5. Altera Antecedentium Causarum, paulò remotior est ipsa viscerum prava actio & constitutio. Epatis imprimis, deinde & lienis (de renibus in Causâ continente diximus) deniq; & ventriculi.

6. Cùm enim viscera suum singula non probè naturale officium faciunt, in coquendo, coctionis excrementum segregando, idemq; debito modo, & per vias destinatas excernendo: non poterit utiq; non tota indè sanguinis massa impurior faculentiorq; evadere.

7. Et primâ concoctione in Ventriculo non probè peractâ: reliqua duo concoctionum genera benè peragi non est possibile. Vitium enim primæ concoctionis non benè corrigitur in secundâ, neq; secunda in tertiâ.

8. Cæterùm vitia viscerum longâ serie hîc commemorare, non est præsentis nostri instituti. Facilè quis hæc enumeraverit ordine omniâ, qui morborum similarium, organicorum & communium catalogum rectè texere didicit.

9. Numeravimus autem cap. 5. inter Causas Calculi proximas consociatas Materiæ calculificæ Exsiccationem.

10. Exsiccationis causa est ipsa partis subjectæ Siccitas. Porrò Siccitatis causa vel Calor est vel Frigus.

11. Caloris operationem primam docent Physici nihil esse aliud quàm Calefacere, Hæc propria est ejus operatio, quam primò & per se edit.

12. Hanc Caloris actionem primam, sequuntur aliæ secundariæ, quas ille non per se primò edit, sed ex accidenti, tales v. g.

sunt

sunt, dissipare, absumere, liquare, siccare, mollire, indurare, ὁμογένεα congregare, ἑτερογένεα separare, &c. Quando enim calor ceram liquat emollitq; lutum verò siccat induratq;: id non caloris naturæ propriæ est adscribendum, sed naturæ ipsius objecti, in quod Calor suum Calefacere vibrat & exercet.

13. Caloris porrò, hoc est, Intemperiei calidæ, à Galeno quinq; præcipuæ causæ numerantur, 1. contactus rei calidæ, 2. motus improbus. 3. Putredo. 4. Constipatio. 5. Assumpta calefacientia. De quibus etsi non jam hic prolixè dicendi locus sit: indicandæ tamen fuerunt, propter putidam Quercetani calumniam, quâ ille Galenum asperserit, & quam ego suo me loco absterssurum confido. Vide infra 11. 2.

14. De subjectæ partis Calore satis mihi dixisse videor: quem necessariò requiri in modis generandi calculi primo, secundo, tertio & quarto, qui neget puto esse neminem.

15. Quæritur autem de frigore quod requisimus 6. 20. in Modo gignendi calculi quinto. Quæritur inquam, num in corpore humano vivo tantum frigus tantavé in temperies frigida vesicæ accidere possit, à quâ deinceps materia calculi è venis ad renes indeq; ad vesicam affluens, in lapidis duritiem, glaciei instar congelari possit?

16. Negat tantum frigus Galenus lib. de ren. affect. cap. 2. negant idem Medici plerique omnes: frigus interim affirmant aliquantum, quod vocant frigus non positivum sed privativum, hoc est, calorem debiliorem & mediocrem, intemperatum tamen illum & præternaturalem; qui utiq; sit tantulus, ut materiæ calculificæ sufficiat coagulandæ, licèt tardiùs & longiori tempore id præstet. Vide 6. 3. & seqq.

17. Caliditas enim, dicente Galeno 6. Epid. com. 3. §. 15. etiam MEDIOCRIS, (mediocritatem intellige non ἁπλῶς, sed comparativè) ad hujusmodi materiam spissandam satis est: cùm non calor partis, sed qualitas materiæ EX QUA fit lapis, præcipuè ipsius compactionis causa existat.

18. Si tamen quod sentio liberè mihi proloqui liceat; existimo scapham esse scapham appellandam, & absurdum esse judico frigoris nomine calorem intelligere.

19. Itaq; repeto cap. 6. thesin meam 20. quâ frigus requiri in Modo gignendi Calculi quinto, disertè affirmavi.

20. Et certè, si ad generationem scirrhi respiciamus: fatendum est tantam dari nonnunquam in corpore humano vivo loci frigiditatem præternaturalem, sive congenita ea sit sive adscititia, quanta materiæ congestæ aut affluxæ sufficiat retinendæ coagulandæq;: quæ quidem materia deinceps partim suapte naturâ, partim loci subjecti siccitate & frigiditate, omni calori extrinsecus accedenti refractaria resistat, omnemq; sui emollitionem respuat, quin imò calore extrinsecus adventante, ad majorem sui exsiccationem indurationemq; abutatur. Quâ equidem de re pulcher extat discursus, viri præclarè docti Simonis Provancherij, Medici apud Senonas eximij, in tractatu de Lithopadio Senonensi.

21. Quin ipse etiam Quercetanus disertè scripsit Materiam ex quâ sit Calculus, quam ille tartaream appellat, sine calore ullo extraneo suapte naturâ vergere ad coagulationem & indurationem. Sic videmus, inquit, in multis fontibus aqvisq; frigidissimis ligna ipsa tandem lapidescere. Sic in Averniâ nostrâ rivulus, qvem incolæ Tiretene nominant, ex propriâ spumâ pontem sibi lapideum construit, ubi tamen nullus fervor nullusq; calor. *Vid. 6. 30.*

22. Cæterùm Frigiditatis seu frigidæ Intemperiei causæ à Galeno qvinq; potissimùm numerantur. 1. contactus rei frigidæ, 2. assumptorum qvantitas & qvalitas. 3. Corporis raritas. 4. Constipatio. 5. motus immoderatus & otium.

23. Percensui Causas antecedentes Calculi qvatenus est corpus tophaceum: qvatenus est morbus numeri auctis qvatenus est intemperies: qvatenus est excrementum mutatum; denique qvate-

quatenus est soluta unitas: jam & causas antecedentes dicamus Calculi quatenus est Obstructio.

24. Obstructionis causam proximam posuimus §. 21. causæ ejusdem antecedens est ipsa corporis tophacei retentio.

25. Retentionis causæ sunt materia expellendæ tum quantitas tum qualitas, ureterum & ostij vesicæ angustia, expultricis debilitas, vesicæ capacitas & frigiditas, ipsaq; diutina mora urinæ in vesicâ, quibus ipsa sæpè accedit nativa egrorum calculosa constitutio.

26. Sed & Calculum consideravimus ut morbum similarem materiæ 2. 9. & hujus causam continentem tradidimus §. 24. Causa antecedens est vel in vitioso parentum semine, vel in prolis sanguine & viscerum prava constitutione à victus ratione contractâ.

27. Quatenus Calculus consideratur ut morbus similaris formæ, de quo diximus 2. 10. & §. 25. causam antecedentem agnoscit illam formalem calculosam constitutionem, quæ fuit in parentum semine: ab hac enim illa ceu à scaturigine quadam promanavit.

28. Neq; verò existimet quis quam ad morbos tantùm Formæ & Materiæ pertinere quod dixi de parentum vitijs ad prolem propagatis; sed tenenda est doctrina generalis, Omnem causam morbi internam, vel congenitam esse vel adscititiam: Vid. disp. nostr. 1. de morb. differ. thes. 194.

29. Cæterùm referuntur etiam ad classem causarum antecedentium internarum sexus & ætas.

30. Pueri, nî calculosam constitutionem è parentum semine hereditariò hauserint, non laborant renum calculo: quia augescentes plurimum habent insitum calidum, hoc est, 1. non laborant enormi renum siccitate, ob humidum innatum. 2. etsi habeant plurimum innati caloris, tamen ille calor, quàm diu manet intra Naturæ limites, non valdè siccat, sed potiùs vegetat

cum

cum humiditate innatâ conjunctus. imò calculosam materiam fundit, dissolvit, excutit, arcetq; à renum substantiâ ceu heterogeneam. 3. in pueris vis naturalis expultrix firma est & valida: quæ facit ut materia calculifica non possit in renibus commorari, sed mox appellatur.

31. Generatur autem pueris Lapis in vesicâ ob urinæ crassitudinem, quæ una est de causis consociatis proximis. Crassitudinis autem causas cap. 8. edisseruimus, & ponuntur à Galeno tres, ut hoc etiam hic obiter dicamus, prima edacitas. altera, quòd pueri statim à cibo ludentes prosilientesq; moveantur. tertia crassitudinis causa à lacte est, quod naturâ crassum est, & ad calculos creandos aptissimum,

32. Crassitudinis collectio, non in renibus fit sed in vesicâ, ubi collectio illa, dicente Galeno, initium capit, idq; post mictum. Causa collectionis est, 1. vesica frigida & sicca: quippe quæ & nervosa sit & pauci sanguinis, 2. vesica amplissima interiùs concavitate inanis. 3. Diutina mora urinæ in vesicâ. 4. crassæ materiæ in pueris tenacitas, quippe magis, ab insito calore, elaboratæ: undè ea temporis processu lentorem quendam acquirit, etsi ab initio nullum habuerit. 5. illa tenacitas ad unitionem, spissitatem & concretionem aptitudinem præstat. Cujus rei exemplum clarius dari nequit, quàm quod 5. 10. & 6. 39. de Pituitâ vitreâ è Scaligero adduximus. 6. his accedit ipsa agrorum calculosa constitutio hæreditaria.

33. Cur autem senibus calculi etiam in renibus concrescant, causa est, quod destituantur eâ naturæ benignitate, quæ est in pueris. 1. majorem possident renum siccitatem, ob diminutum humidum innatum. 2. calore in senibus implantato paulatim diminuto, prævalescit calor adscititius. 3. vis senum expultrix invalida est, & actiones infirmæ. 4. his ut plurimùm accedit calculosa constitutio hæreditaria.

34. Porrò sexus fœmineus in affectu calculi aliquid præ viris

ris habet commodi: quippe quòd viros dolores sustinere oporteat maximos, quando calculus per orificium vesicæ egressus, meatum urinarium lancinat, divellit, laterat: à quâ equidem dolorum parte mulieres sunt liberæ, ob viæ amplitudinem, & brevitatem.

Cap. VIII.

De Causa Calculi externâ & evidente.

1. Fuerunt duo Causæ genera, nimirum Proximæ & Antecedentis: reliqvum est genus tertium, nimirum Causæ Evidentis & Externæ.

2. In acie Causarum Externarum primus stat Aër, cum ijs qvæ ad Aëris classem à Medicis referuntur. Aër itaq; qvilibet intemperatior & impurior, humidus, nebulosus, crassus, siccus, calidus, frigidus, nocet calculosis. Nocent balnea exsiccantia, mora sub radijs solaribus, aut ad ignem, tergo ad focum obverso. multa vestimenta, ac mollis culcitra ex anserum plumis, cinctus latus atq; arctè pressus, qvali Dalmatæ utebantur, frigus pedum, sessiones longæ seu diuturnæ super lapidem. Astrologi generationi lapidum causam etiam assignant Epidemiam seu cœlestem, eamq; non modò manifestam, verùm & occultam, qvæ efficax sit in omnibus habentibus symbolum. Totum hoc vitium (inqvit Francisc. Junct. Com. in Ptol. de astror. jud. lib. 3. cap. 2.) Saturni est, qvi suâ naturâ maleficus, vesicæ & humori terreno præsidet. Et mox. Saturnus cum Mercurio in octavâ domo, in nativitate diurnâ, significat, qvod Natus erit calculosus, & laborabit vesicæ vitio. Alij causam tradunt qvandoq; & Endemiam, qvâ aër ab inferioribus infectus certis in locis calculum reddat morbum veluti patrium, & vernaculum. Videtur huc aliqvo modo spectare admirabilis historia, qvam Philippus Camerarius Norebergensium Consiliarius in descript. Ptolom. augmento, sive Occident. notitiâ Cent. 2. cap 70. ex Cornelio Witflieto commemorat, de aurâ meridionali certis anni temporibus flante in

montanis provinciæ Chilensis in Americâ: cujus quidem afflatu integræ equitum turmæ velut in statuas lapideas repentè obriguerint, steterintq; in viâ eo aciei ordine, quo ante metamorphosin adhuc vivæ iter fecerant. Cui non multùm absimilis & illa est historia, quæ ab Ortelio refertur in descriptione Ruscia, de pecudum gregibus & armentis ilicò petrefactis.

3. Sed & Causæ Pandemia simplex seu simpliciter dictæ Calculo attribuitur ijs in locis, ubi homines communiter utuntur aquâ aut vino ad Calculi generationem singulariter aptis: sive ob qualitatem manifestam, quæ relucet v. g. in vino Tigurino, & aquâ Tiburinâ: sive ob qualitatem occultam, cujus exempla adduximus cap. 6. thes. 34. 35. 37. 38.

4. Cùm verò Calculus potissimùm & frequentiùs rationem habeat Morbi Dispersi: hujus causas potissimùm prosequitur Galenus 6. Epid. com. 3. §. 15. & 3. alment. fac. 15. 16. 17. ubi inter cæteras calculi causas externas perhibentur Edulia crassi succi.

5. Et imprimis quidem Calculum generat nimia cibi Quantitas, ferculorum multitudo & varietas, repletio & satietas. Deinde & Qualitas eorum ciborum qui difficilioris concoctionis sunt, & qui crassos lentosq; succos generant, tum qui siccam in temperiem efficiunt, qui nimium calefaciunt refrigerantvé, qui multum generant excrementorum, quiq; obstructiones pariunt. V.g. panis azymus, maximè recens & qui adhuc calet à clibano, non salitus, non benè subactus, pultes & placentæ aliaq; cibaria ex tritico vel farre. Legumina plerag; omnia, exceptis ciceribus rubris, lens, oryza, amylum, carnes magnorum animalium terrestrium juxta & aquatilium, præsertim sale conditæ aut fumo ventové indurate, caro bubula, suilla, hircina, caprina, ovina, exceptâ vervecinâ. Lac & lacticinia cuncta occygala, caseus, de quib. Gal. 3. alim. fac. 15. 16. & 17. Extrema animalium, ut pedes & capita, itemq; & τὰ ἔνερθε eorundem, & carnes

carnes animalium nuperrimè in lucem editorum, *agnorum, hedorum, porcellorum, &* avium lacustrium, *anserum, anatum aliarumq; hujus generis.* Ova dura, Pisces majores *succum continentes lentum, asellus arefactus, raja, squatina, murena, anguillæ, pastinaca, aliiq;* squamis carentes *& in aquis degentes* limosis & palustribus, *fullo, holoturia, &* qvæcunq; sangvine carent, *ut musculorum, cancrorum & ostreorum omne genus, cambari, locustæ, astaci, conchilia, pinæ &c.* Aromata *& omnia acria siccandi calefaciendiq; vi prædita, dulcia, pingvia, salsa, crassa, tenacia, ut Gelatina &c.* fructus immaturi, *astringentes, duri & concoctu difficiles, castaneæ, cydonia, mespila, corna, capæ, allia, pistacia &c. Tubera etiam & fungi.*

6. Vinum *immaturum, austerum, qvalia sunt Tigurina, nimis vestustum, nimisq; recens, item nigrum, crassum, impensè calidum, dulce, qvale est Rhetium, Creticum, Falernum, Hispanicum, omne mustum,* Cerevisia *recens, crassa, faculenta,* Aqvæ *crassæ ut Tyberina, salsuginosæ, palustres, & qvæ ex liqvatâ nive confluxit, tum illæ maximè qvæ peculiari naturâ & proprietate qvadam formali calculum generant: qvalis est aqva fontis Veronæi apud Senones. Vid. 6. 34. 35. 37. 38. Huc ceu ad locum Ingestorum pertinet etiam intempestivus & temerarius* medicamentorum *purgantium & diureticorum usus, qvô plurima calculosorum pars de medio tollitur.*

7. *Qvantum momenti ad calculi generationem conferat intempestivus* corporis motus, *docuit Galenus exemplo puerorum qvi statim à cibo ludunt & prosiliunt, cibumq; è ventriculo excutiunt crudum nec satis concoctum. Vid. 7. 31. Præterea motu violento & concitatiore corpus incalescere notum est. Huc pertinent, vitæ genus, eqvitatio, curru vectio, cursus, aut alius qvicunq; corporis labor, maximè qvi fit dorso incurvo & ad Solem obverso. Item casus, ictus & contusiones aut percussiones qvæ olim in renum fortè regionem inciderunt. Ex opposito* otium &

qvies diuturna multum pituitosæ materiæ tum generant, tum colligunt, ut videre est maximè in Monachis Carthusianis.

8. Qvod diximus de motu & qviete: idem sentiendum est de vigilijs & somno, qvorum illæ siccando nocent, hic autem refrigerando humectando & pituitam gignendo; siqvid modum & fines non servent à Natura constitutos: qvos ultra citraq; nequit consistere rectum.

9. Excrementa, qvæcunq; tandem illa sint præter naturam retenta magnum adferunt gignendo calculo adminiculum; qvippe qvòd viam semper affectent ad partem laborantem, & vice versâ, nimia horum excretio spiritus exhaurit, calorem extinguit, frigiditatem inducit, qvæ deinde author est cruditatum & materiæ calculi.

10. Animi qvin etiam Pathemata calculum gignunt, qvatenus humores variè concitant, spiritus dissipant, calorem innatum extinguunt, ejusq; sedem & pabulum humidum primigenium expugnant, & concoctionem impediunt: undè cruditatum coacervatio pullulat.

11. Caterùm qvæ hoc loco de Causis Calculi externis desiderari videbuntur: ea magnâ ex parte supplere licebit ex ijs qvæ postmodum cap. 14. de Victus ratione trademus.

Cap. IX.

De Definitione Calculi.

1. Cùm jam hactenus ea congesserim omnia, è qvibus Calculi extruenda est definitio, nimirum Genus, Differentias, Subjectum, Causam proximam, antecedentem, externam, itemq; & Generationis modum: reliqvum est ut deinceps Calculum definiam.

2. In concinnandis autem definitionibus, per singulas rerum considerationes, qvæ sub vocabulo Calculi continentur, ordine decurram.

3. Cal-

3. *Calculum ut morbi Causam consideratum, his verbis definit doctissimus Duncanus.* Calculus est corpus tophaceum aut lapideum præter naturam in renibus: ex materiâ crassâ lentâ: per exiccationem præcipue à calore genitum: actiones eorum impediens.

4. *Rudius hoc modo definit.* Calculus est Materia tophacea, in renibus, ex crassâ & viscidâ, ab eorum calore concreta.

5. *Weckerus hanc adfert definitionem:* Calculus renum est corpusculum qvoddam durum, toto genere præter naturam, instar lapidis seu tophi, in substantiâ seu sinibus ipsorum renum genitum.

6. *Alij plerique aut nullas aut imperfectiores hujus considerationis definitiones tradunt. Quare Duncani definitionem ceu reliqvis perfectiorem omnium maximè probamus, etsi pleniorem causarum enumerationem in eâ desideremus.*

7. *Qvid de definitionibus longioribus sentiendum sit, dixi Disput. 1. de Morb. differ. thes. 57. & 58. & docuit Galenus prolixè 4. de differ. puls. 2* ubi, *aicente Mercuriali,* qvasi lege qvadam præcipit tyrones longis definitionibus & descriptionibus esse docendos.

8. *Det mihi igitur veniam Momulus meus, si calculum renum juxta primam considerationem qvæ extat 2. 5. in hunc modum definiam. Calculus renum est corpus lapideum: qvod vel in renum cavis vel in ipsâ eorundem carne: ex secundæ potissimùm concoctionis excremento crasso, lento, terreo, salso, cum sero permixto concrevit: idq; suapte naturâ, qvandoq; etiam adjuvante loci subjecti siccitate, maximè verò ejusdem proprietate tum materiali tum formali ut plurimùm hereditariâ: pariens renum obstructionem, & morbum in numero, qvandoq; & solutionem continui.*

9. *Lapis vesicæ est Lapis, qvi in vesicâ vel primò, vel ducto è renibus rudimento ex secundæ potissimùm concoctionis excremento, crasso, lento, terreo, salso, cum sero permixto concrevit:*

idq; suapte naturâ, qvandoq; etiam adjuvante loci subjecti siccitate, maximè verò ejusdem proprietate tum materiali tum formali ut plurimùm hæreditariâ: pariens vesicæ obstructionem, & morbum in numero aucto, qvandoq; & solutionem continui.

10. Juxta considerationem 2. 6. Calculus renum, est renum obstructio: orta à calculo:

11. Calculus seu Lapis Vesicæ, est Obstructio Vesicæ, maximè orificij vesicæ, qvam parit Lapis:

12. Juxta conceptum 2. 7. Calculus est Morbus numeri aucti, qvem facit Calculus, res toto genere præter naturam, sive in renibus sive in vesicâ.

13. Calculus consideratus juxta 2 8. immoderatior siccitas est renum aut vesicæ: materiam calculiferam exiccans & indurans in calculum.

14. Ad conceptum 2. 9. talis exurgit Calculi definitio, qvod sit immoderata renum raritas similaris, admittens materiam calculificam intra ipsam eorundem carnem, ubi illa in calculum facessit, absumptâ qvandoq; universâ renum substantiâ.

15. Conceptus 2. 10. suppeditat hanc nobis Calculi definitionem, Calculus est Morbus formæ; ortus à loci affecti, sive ille in renibus sive in vesicâ sit, proprietate formali, calculum generante.

16. E consideratione qvæ habetur 2. 11. hæc erit Calculi definitio, Calculus renum est Excrementum lapideum toto genere præter naturam, ortum ab Intemperie eorundem siccâ & calidâ materiam calculiferam exiccante, assante & indurante. Item est impedita urinæ excretio: orta ab obstructione, qvam in vijs urinarijs facit Calculus.

17. Deniq; ad nutum 2. 12. Calculus erit Solutio continui, qvam parit Calculus, in vijs urinarijs.

CAP.

Cap. X.

In qvo examinatur sententia D. Plateri de Calculo.

1. *Sunt qvi existiment D. Felicem Platerum, medicum totâ Germaniâ celebrem, in doctrinâ Calculi à Galeni sententiâ apostatasse, & in castra descendisse Hermeticorum. Hoc qvi mihi demonstraverit: erit is mihi magnus Apollo. Etenim in materiâ calculi ediffierendâ Platerus neq; Galeni meminit, neq; Galeni sententiam qvam nos posuimus §. 4. & seqq. ullo argumento tangit nedum ut convellat. imò eam confirmat verbis subinde usus ex Galeno desumptis. qvalia sunt,* humor excrementitius, excrementum, glutinosæ reliqviæ, sangvis sero excrementitio ichoribusq; humorum perfuso impurior, serum alijs excrementis permistum, *item* serum bilem diluens indeq; majorem acredinem siccitatemq; acqvirens, &c. *Qvæ omnia Galenica & dogmatica sunt.*

2. *Ait verò se communi opinioni & sententiæ subscribere non posse, eorum qvi statuunt solam pituitam* mucosam & aqveam *omnis calculi causam materialem esse: & qvi ajunt eam qvam dixi pituitam tum demum idoneam calculi materiam fieri, ubi fuerit à calore peraffata: Caloremq; causam esse unicam, qvæ pituitam hanc in calculum & lapidem convertat. Qvam eqvidem opinionem & ipsi refutavimus cap. 6. & 7.*

Cap. XI.

In qvo examinatur opinio Qvercetani, & qvibus de rebus à Dogmaticis ille in cognitione Calculi dissentiat, perqviritur.

1. *Josephus Qvercetanus vir doctus qvidem ille, & imprimis*

primis artis chymicæ supra mediocritatem peritus, sed petulantissimus Galeni insectator, & cavillator maximus, dicacitate nulli secundus, consilium scripsit de arthritide & calculo, in quo & candorem & judicium ego quidem vehementer desidero.

2. Affingit Galeno nescio quas antilogias seu contradictiones, aitq; hunc variè huc illuc jactari fluctibus inconstantiæ: qvippe qvi de pituitâ salsâ decernens ejusdem effectus modò tribuat calori, modò putredini, modò admixtioni bilis, aut humoris serosi cum pituitâ. Obsecro qvis tandem æqvo animo ferat tam effrenem calumniandi & convitiandi petulantiam?

3. Non enim Inconstantiæ est Calculi & Arthritidis, dolores referre ad complures causas subordinatas itemq; ad complures causas consociatas, pariter ad effectum aliqvem edendum concurrentes. Dolores arthritici inferuntur ab acredine, acredo inest pituitæ salsæ, salsedo illa vires sumit agitaturq; à calore, calor oritur à putredine &c. nonnunqvam cum pituitâ salsâ concurrit bilis, qvæ & ipsa est humor acer & siccus, nonnunqvam melancholia, qvæ multùm terrea est, sicca, acidaq; & acris, denicq; adest & serum crassioris saburræ vehiculum. Hinc si jam Dogmatici generationem calculi & arthritidis nunc ad calorem, nunc ad putredinem, nunc ad pituitam salsam, nunc ad bilem, nunc ad melancholiam, nunc denicq; ad serum ceu ad causas referant; an propterea merebuntur calumniam inconstantiæ? Non equidem opinor. Illa enim scrupulosa loqvendi ratio, qvâ ad suam singula causam proximam referimus, non in omni semper sermone est necessaria; nisi fortè ad necessitatem meras definitiones loqvendi adigi velimus. Nullum mehercle est in toto Quercetano argumentum, nullum medium, qvod cum propositæ qvæstionis extremis ritè constructum inconstantiæ fluctus evincat è varietate causarum subordinatarum. Sit v. g. talis Quercetani argutatio, Qvicqvid generatur à salsedine: id non generatur à siccitate, à calore, à putredine, à bile, à melancholia &c.

lia &c. Item, Qvisqvis ponit unius effectus causas diversas & plures: is jactatur fluctibus inconstantiæ. Respondeo, Connexum esse falsum: qvia unius effectus plures esse possunt causæ subordinatæ, ipsaq; etiam causa proxima aliqvando non simplex est, sed è pluribus composita.

4. Vidit hoc haud obscurè & Qvercetanus ipse, ideoq; ipse potiùs inconstans compluribus in locis disertè & palàm confitetur, utriusq; partis sententias facilè & nullo negotio conciliari posse: imò scribit, Chymicorum opinionem verbo solùm & non re à Dogmaticorum opinione differre. Itemq;, Dogmaticorum & Hermeticorum non esse faciendas distinctas sectas, qvæ reverà una & eadem sit, si benè intellecta utriusque dogmata candidè à doctis atq; eruditis æstimentur. Qvæ siqvidem vera sint: ecqvis non miretur, imò ecqvis demirari satis possit, viri istius temeritatem & inconstantiam, tam protervè, innumeris propè in locis, Galenũ proscindentis, qvem ceu Medicinæ Parentem qvendam piè venerari potiùs debuisset, qvàm petulanti lingvâ proscindere: &, sicubi fortè qvod verbum duriusculum apud Galenum reperisset, commodâ id interpretatione lenire potiùs, qvàm virulenter sugillare.

5. Agè verò per methodi capita ordine decurramus, atq; ubinam Qvercetanus vel cum Dogmaticis consentiat, vel ab ijsdem dissensionem faciat, videamus.

6. Fui miratus, qvòd ipsa nobis calculi & lapidis vocabula reliqverit sarta tecta Qvercetanus: cùm multò potiùs & rectiùs ipse calculus & lapis Tartari nomine donandus fuisse videatur, qvàm ea materia ex qvâ fit calculus aut lapis. Etenim communi consvetudine loqvendi, non tam id Tartarum vocamus, qvod ceu in cramate adhuc permistum est vino, qvàm id qvod jam à vino seqvestratum dolij parietibus & fundo ceu lapidea qvædam crusta adhæresci.

7. De Genere Calculi proximo scribit in hac verba Qvercetanus.

cetanus. In Calculi essentiâ pervestigandâ, mirum qvàm variè se mutuò lancinârint, atq; torserint dogmatici authores. Alij Morbum dixerunt, alij Symptoma, nonnulli aptiùs & rectiùs Causam dici efficaciſsimè contenderunt. *His ſuam ipſe ſententiam mox ſubijciens*, Et ſanè, *ait*, mirum est viros alioqvi clariſsimos, in re tam facili, vix trimestri logico conſpicuâ, hæsitasse. Attamen dicamus, si lubet, ut placeamus omnibus, Calculum & Morbi, & Causæ, & Symptomatis nomen sibi usurpasse, diverso respectu.

8. *Respondeo 1. diligentem Generis proximi indagationem, non mereri calumniam Lancinationis. 2 accuratam Generis proximi distinctionem non mereri calumniam hæsitationis. 3. viros clariſsimos non fuisse tam virulenter cum trimestri logico comparandos. 4. Qvercetanum ipsum sua hic vineta cædere: qvippe qvi ipsus varietatem Generis proximi indaget & distinguat, Calculumq; diverso respectu & Morbi & Causæ & Symptomatis nomen sibi usurpasse, confirmet. Ergoné semet-ipsum lancinavit Qvercetanus? Ergoné in re tam facili ipsus hæsitavit? Ergoné ipsus infra trimestrem logicum est demittendus? Ergoné Dogmaticis non licuit citra calumniam, qvod licuit Qvercetano?*

9. *Differentias Calculi à Generationis modo & causâ, non solliciè distinxit Qvercetanus: qvippe qvi potiſsimùm agnoviſse videtur modum Generationis primum & qvintum, qvorum ille fit per Evaporationem, evaporationi Chymicæ simlem, à Calore: hic vero ab Efficiente Frigore. Agnovit & sextum à Naturâ utriusq; materiæ Ex qva & In qvâ. Reliqvos vel non observavit, vel sub primo comprehendit.*

10. *Qvantum attinet ad Causam calculi continentem: de hac Dogmaticorum & Hermeticorum sententias conciliat pag. 232 his verbis.* Ergo consentiunt utriq; in eo, Generari nempè & reperiri in corpore humores Crassos, atq; Terrestres, qviq; sint Salsi & Mordicantes.

11. *Eugè Lector! hanc ego Qvercetani confeſsionem, hunc ego*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883/phys_0048
DFG

ego Quercetani consensum cretâ, quod ajunt, notandum duco: quippe qui è diametro pugnet cum Quercetanianâ humoris definitione, quam ille tradidit eodem tractatu pag. 237. ubi in definitione humoris requirit, ut humor propriè sit substantia, quæ tota exhalare possit, vel evaporari à calore, &, à se aut in se, nihil solidi nihilq; terrestris substantiæ contineat. *Hæccine contradictoria sunt? fateri in corpore generari & reperiri* humores crassos terrestres salsos: *& humorem tamen interim definire, quod sit substantia, quæ* nihil solidi nihilq; terrestris substantiæ *in se contineat, sed tota exhalare & evaporari possit à calore?*

12. *Ex qua equidem Contradictione Quercetanianâ consequitur, Quercetanum duobus modis fuisse ridiculum. 1. Quod humorem definiat, qualis per se in abstracto non reperitur in corpore humano. 2. quod Galenum confutando Galeni sententiam ne attingat quidem, sed Andabatarum more gladium ventilet in tenebris, ubi nullus sit Adversarius: quippe cùm Galenus nusquam Calculi causam constituerit talem humorem, qualem definit Quercetanus, sed humorem crassum, terrestrem, salsum &c. qualem Quercetanus approbavit thes. 10. hujus cap. & cap. 5. thes. 4.*

13. *Est autem scuticâ dignum hoc Quercetani cavillum, quando ait,* Nullus humor qvà talis, potest esse materia calculi: *Ergo nec humor crassus, ergo nec humor terrestris, ergo nec humor salsus. Ignoravit scilicet vir doctus discrimen thematis simplicis & compositi, nescivitq; humiditatem puram qualem ille destillando solet prolectare, & humorem crassum, terrestrem, salsum, eq; partibus constantem heterogeneis, magis differre, quàm, quod ajunt, Mysorum & Phrygum terminos: Sanè quantùm differunt animal & animal rationale, Item, quantum differunt homo & homo doctus: tantundem etiam differunt humor & humor salsus, vide Gal. 1. de simpl. med. fac. 4. &c. Agè sanè? definiat nobis aliquis Quercetani asseclarum, humorem salsum absq; sale salsedinevé, & de spoliis Galenicis trophæum sta-*

tuat, non Æsculapio sed Hermeti: de quo vetus extat ridiculus versiculus.

Gaudet honorificabilitudinitatibus HERMES.

14. Jam & hoc Quercetano placuit, ut novo & hactenus inusitato loquendi genere dicamus, non humorem crassum, sed crassitudinem in humore; non humorem terrestrem, sed terrestreitatem in humore; non humorem salsum, sed sal in humore. Nobis verò non placet illud Quercetani placitum, sed in libertate volumus stare Galenicâ, ut cum Galeno utrumlibet dicere possimus, urinam crassam, & urinæ crassitudinem.

15. Frequentior tamen & usitatior est modus loquendi in concreto quàm in abstracto, ut sicut crana appellitamus non aquam vel lympham in vino, sed vinum aquatũ & lymphatum: ita etiam dicamus potiùs humorem crassum, terrestrem, salsum, quàm crassitiem, terrestreitatem & sal in humore. Ratio est in promptu, quod in quadam Calculi generatione etiam ipsa aquea humiditas calculi substantiam aliquantulâ ex parte constituere nobis videatur Vid. 6.33.34.35 36 37.38.

16. Facit autem vocis æquivocatio, ut in pleriq; Quercetani syllogismis sint quatuor termini, voce humoris acceptâ aliter in Majore, & aliter in Minore V g. pag. 243. scribit, Si ex rei veritate statuere velimus: Nullus humor vel salsus vel acidus vel alterius generis saporis, causa calculi esse potest. Rationem, cur v. g. humor salsus calculi causa esse nequeat, hanc adducit: Quippe, inquit, humor simplex nec salem nec tartarum nec calculum efficere potest, nisi sal vel materia tartarea ei priùs fuerit admixta. Vide obsecro, quomodo propositionem de humore salso, probare conetur medio desumpto ab humore simplici; ut hæc sit forma Sophismatis Quercetaniani. Nullus humor est causa calculi: Humor salsus est humor: Ergo humor salsus non est causa calculi. Respondeo esse in hoc argumento quatuor terminos, idèo quod vox Humor in Majore ponatur pro humore simplici, qualem definivit Quercetanus: In Minore autem pro humore

more composito, qualem definivit Galenus. Undè liquet Conclusionis falsitas: quippe quod ab humore simplici Quercetaniano ad humorem compositum Galenicum non valeat argumentatio.

17. Falsitas hæc eluceseet clariùs, si Quercetani sophisma hoc modo conformemus. Nullus humor, quà talis, hoc est, quà pura, simplex, similaris, homogenea & ὁμοιομερὴς humiditas, potest esse materia calculi: Humor salsus est humor quà talis, hoc est, quà pura simplex similaris homogenea ὁμοιομερὴς humiditas: Ergo humor salsus nequit esse materia Calculi. Minor est falsissima & digna flagris: quippe quòd humor salsus non sit humor simplex, sed ex humiditate & salsedine compositus, ut docuit Galenus 1. de simpl. m. d. facul 4 Vid. sup. 13: adeò quidem, ut salsedo formalem partem definiendi humoris salsi constituat.

18. Addit deinceps Quercetanus. Qvin potiùs ex salis vel tartari coagulatione, qvod est in humore, fit calculus aut tophus: humore nihil prorsus suâ naturâ ad illos conferente. Ecce iterum ludit in voce humoris: nam humorem intelligit non Galenicum, de quo cap. 5. thes. 4. 5. & seqq. sed humorem qualem ipse definivit, & qualis per se, in abstracto, non reperitur in corpore humano. Ut tota hæc lis nihil sit aliud qvàm pura puta Andabatica λογομαχία vanaq; de vocabulis concertatio. Deinde qvod ait, humorem illum suum nihil prorsus suâ naturâ ad calculum conferre: de eo adhuc sub judice lis est, eritq; tantisper dum confutata videbimus ea, qvæ nos de Calculi generandi modo sexto adduximus.

19. Qvod autem Quercetanus magno supercilio contendit, illam hypostasin humoris, qvæ ab humiditate separata in fundo residet, & à Galeno fæx & crassitudo, à Scaligero autem saburra appellatur, non debere amplius istis nominibus appellari, sed donandam esse novo nomine TARTARI: id ille quidem satis pro imperio. Nos verò respondemus. 1. In qualibet facultate fugiendam esse vocum & terminorum novitatem.

2. Quercetani & Paracelsi authoritatem neq; tantam esse neq; tanti, ut loqvendi rationem Galenicam è scholis regijs valeat explodere, & novam supponere. 3. Tartarum cùm sit vini in quarto modo proprium de omni solo & semper: non posse citra magnam vini injuriam ad humores humani corporis transferri: nec debere etiam; cùm vocabula suppetant multo aptiora, qvibus jam indè à multis seculis usa est omnis docta antiqvitas.

20. Consimilis est ratio & aliorum complurium vocabulorum, qvæ Hermetici isti ex comparatione hominis microcosmi cum macrocosmo in artem invexerunt Medicam. Qvalia, v. g. sunt, qvando pro pituitâ salsâ, dici volunt sal salsum: pro bile amarâ, sal amarum: pro melancholiâ & pituitâ acidâ, sal acidum & vitriolatum: pro pituitâ dulci, sal dulce & saccaratum. Cumq; omnis salium & humorum impurior fex illis tartarum appellitetur: placuit illis pariter diversas feces diversis tartarorum insignire nominibus, ut itidem sit tartarum salsum, & amarum, & acidum, & austerum & acerbum, & dulce, & saccaratum &c. & si qvid consimilium est nugarum, qvæ prorsus nihil ad rem faciunt. Vid. suprà thes. 4.

21. Porrò, qvod Quercetanus pag. 244. magnis vocibus ingeminat, Nimis impropriè eos loqvi, qvi humorem adustum dicunt, Non aduri ullum humorem: ad hoc respondeo, iterum esse æqvivocationem & lusum in voce humoris. Certè etsi humiditas Quercetaniana non aduratur: potest tamen aduri humor à Galeno definitus. Deinde ridiculum est, Quercetanum urgere proprietatem vocabulorum, qvem non puduit vocabulum Tartari vino proprium, ad hominem transferre, maximè impropriè.

22. De Causâ Calculi antecedente materiali nihil est controversiarum. Est enim, qvo ad materiam, eadem cum continente.

23. Sed neq; de Causâ externâ dissensio est, subscribente ipso

ipso etiam Quercetano, pag. 231. his verbis, In Causis Externis atq; Antecedentibus utcunq; conveniunt inter se Dogmatici & Hermetici.

24. *Scribit Quercetanus*, non sat esse novisse effectus, & τὸ ὅτι ceu ad oculum vidisse; sed pergendum esse ulteriùs, atq; deveniendum ad τὸ διότι, ad causas inqvam & rationes; *gloriaturq; se eum esse*, qvi id, inter suæ sortis ac conditionis Philosophos non ultimus præstiterit, sciatq; talia à nemine unquam ante se tam dilucidè explicata esse. *Quæ quidem verba sintné Junonium ingredientis, & quidem summis, qvod ajunt, ungvibus; cælum verò digito attingentis: alij judicent. Ego certè conteſtor me verbulum non feciſſe infectandi Quercetani gratiâ, ſed Galeni me de Calculo ſententiam à putiis Quercetani calumnijs vindicaſſe: qvem ego qvidem, ad hanc cognoſcendi calculi materiam, novi attuliſſe video prorſus nihil, præterqvàm novum Tartari vocabulum, à vino ad hominem translatum.*

25. *Atq; hæc qvidem hactenus de Cognitione calculi: in Curatione verò calculi, qvanto & qvali remediorum acceſſorio Quercetanus theſauros Galenicos locupletaverit, ſeorſum videbimus.*

Cap. XII.

De Signis Calculi.

1. *Signa morborum in triplici verſantur differentiâ. Vel enim ſunt* ἀναμνηστικὰ, *vel* διαγνωστικὰ *vel* προγνωστικὰ.

2. *Signa Calculi* ἀναμνηστικὰ *ſeu commemorativa Calculum antegredientia, abundè intelliguntur è capite hujus diſputationis 8. Ubi enim tales cauſæ prægrediuntur: ibi Calculum ſeqvuturum rectè conjicimus.*

3. *Deinde Calculum illa etiam ſignificant, qvæ cap. 7. de Cauſis calculi internis antecedentibus diximus.*

4. *Signa verò* διαγνωστικὰ *præſentem Calculum arguentia, pleraq; omnia, tum communia tum propria, facilè cognoſcuntur è cap. 3.*

5. *Cùm*

5. Cùm autem signa communia per se sola Calculum non demonstrent, qualia sunt vomitus, dolor, alvi astrictio, urinæ retentio, sanguinis puruſq; excretio &c. ideò ad propria & παθογνωμονικὰ mentis aciem potissimùm oportet intendere, eaq; rimari per singula symptomatum genera: Actionis læsæ, Qualitatis mutatæ & Excrementorum.

6. Indicant autem Diagnosticorum alia locum affectum, alia Affectus speciem & alia denique Affectus causam.

7 Locum affectum Calculi inprimis demonstrant doloris proprietas & situs. Etenim dolor obtusus & gravans renis substantiam & cavum indicat, dolor verò acutus terebrans lancinans indicat ipsos ureteras, orificium vesicæ, & meatum urinarium, quæ partes omnes exactiore sensu sunt præditæ, maximè verò ureteres & meatus urinarius.

8. Oportet autem in judicando, cum doloris proprietate, ipsum ejusdem situm conjungere, & perpendere quâ in corporis regione ille consederit, num in regione renum & lumborum, num in ingvinibus, num denique sub pube? quod si fecerimus: non poterit nos locus affectus diu fugere. Vide etiam. 3. 5. 6. 7. 8. 9.

9. Nonnunquam Calculus ex angustâ ureterum viâ in renis cavum remeat, & tum sit aliquantisper doloris mitigatio: inferente autem se calculo rursus in ureteris caput, dolor redit. Idem fit & in vesicâ, calculo nunc orificium vesicæ pungente, nunc rursum corporis motu aut decubitu ab orificio retrocedente. Similter fit doloris lentitio, ubi ille ureteras perluctatus, tandem in vesicæ cavum prosilit.

10. Alterum Actionis læsæ symptoma seu signum est, urinæ retentio. Inventi enim sunt ægri calculosi, quibus urina per integros dies 16, plus minusvé, retenta, tandem per os restagnârit.

11. Tertium Actionis læsæ signum est, stupor cruris è directo positi: de quo ex Hippocrate & Galeno diximus 3. 8.

12. Signum Qualitatis mutatæ in charactere, est curvi-

tas

tas dorsi, & quod ægri nequeant erecti incedere. Quod quidem signum renes affectos esse commonstrat.

13. Et de signis loci affecti quidem hactenus: sed non sufficiunt illa ad ipsam Affectus speciem, quæ est ipse Calculus, demonstrandam: ideò progredi oportet ulteriùs, & in judicium adhibere signa etiam excrementi mutati.

14. Itaq; evocetur huc thesis nostra 10. capitis tertij, in quâ diximus glaream seu arenularum sabulum, & calculum cum urinâ cruentâ à calculosis tandem excerni. Hoc, hoc signum verè est apodicticum, ab effectu causam evidenter demonstrans, & reliquis signis omnibus veluti colophonem addens: quippe quo posito, de Affectus specie, nempe Calculo, nullum amplius dubium superesse possit. Gal. 6. loc. aff. 3.

15. Signa autem loci affecti seu partis subjectæ, eam nobis Calculi differentiam dabunt, quam proposuimus cap. 3. thes. 13.

16. Jam verò & causam Calculi per signa venari oportet, quæ alteram nobis ministrent Calculi differentiam, de quâ cap. 3. thes. 14. deinde & tertiam de quâ ibidem thes. 15.

17. Volunt autem calculos albos arguere causam pituitosam, vel purulentam; flavos biliosam; rufos sanguineam: nigricantes melancholicam: mixti verò coloris calculos, indicare causam mixtam. Vid. cap. 3. thes. 18.

18. Desumuntur & materiæ calculificæ signa ab ægri temperamento, victus ratione, quâ impræsentiarum ille utitur, vitæ genere, colore cutis, ætate, sexu, &c. De quibus ad amussim Fernelius 2. Pathol. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. Et Heurnius Instit. Med. toto lib. 4. Et Duncanus 4. Art. Med. 3.

19. Causarum itidem Efficientium internarum, puta Siccitatis, Caloris, Frigoris signa ex Institutionibus Medicinæ sunt petenda.

20. Constitutio Calculosa hæreditariè à parentibus contracta, non è signis sed ex ægri aliorumvé relata discenda est.

21. *Similiter Causam externam & Victus rationem, quâ eger usus anteà sit, non è signis venari oportet, sed ex ipsius ægri narrantis ore percipere.*

22. *Signa Prognostica sunt illa potissimùm, quæ aliàs Προφανόμενα & Προφθόμενα appellantur, eò quòd non morbum antecedant, sed morbo superveniant & supernascantur, atq; ita morbum jam factum sequantur.*

23. *Quare parum rectè mihi videntur facere illi, qui quod pueri lithiasi, senes verò nephritide ut plurimùm laborent, inter Prognostica ponunt, & alia nonnulla quæ aliò potiùs erant referenda. Vid. 7. 29. &c.*

24. *Cùm autem Prognosticorum alia salutem vel mortem portendant, alia tempus salutis vel mortis, & alia deniq; speciem viamq; & modum salutis vel mortis: de singulis, quantum quidem fert præsentis materiæ institutum, ordine dicam.*

25. *Lapis in vesicâ ita magnus, ut per orificum vesicæ exire neqveat, si durus solidus & glaber est, & in vesicâ primam originem traxit: mortem portendit, nisi vel artificiosâ sectione eximatur, vel ipse per suppurationem exitum sibi qværat, ut in exemplo contigit, qvod adduxi 4. 15.*

26. *Nescio enim utrum magis laudem ac prædicem judicium né an candorem animi, magni illius & eximij Hieronymi Capivaccij, Medici olim Patavini, longè celeberrimi, scribentis in hæc verba:* Fateor me nescire, qvæ Calculum in vesicâ frangere qveant. *Cui Erastus astipalatus Consil. 26.* Persvasum, *inqvit*, habeo, lapidem vesicæ dissolvi remedijs intra corpus non posse.

27. *Illum autem lapidem, qvi primum rudimentum in renibus, augmentum verò in vesicâ accepit, per aliam atq; aliam crustarum & velati lamtnarum accretionem subindè factam, medicamentis atteri & confringi posse, vidimus in collegâ olim nostro D. Wilhelmo Laurenbergio, Medico & Mathematico incomparabili, cujus memoria est in benedictione. Etenim ipsius*

in lecto jacens supinus, catheterem per meatum urinarium in vesicam immisso, lapidem animadvertebat loco mobilem, & huc illuc volubilem. Deinde digito in rectum intestinum indito & pollice ad perinæum defixo, lapidis magnitudinem explorabat, quem ovum columbinum quantitate superare deprehendebat. Deinde aliquandiu (tempore enim ad confractionem opus est) medicamento usus lapidem confringente & atterente, à fragmentis orificio vesicæ identidem vulnerato, & accedentibus simul doloribus arthriticis, vitæ diu superesse non potuit, sed doloribus confectus animam exhalavit.

28. Dixi ad confractionem tempore opus esse: nam vidi calculos à renibus excretos, qui per totum triduum in succo limonum & spiritu vitrioli immersi & infusione macerati, tamen integri manserint: Undè, quid medicamentum, jam vitæ longitudine defatigatum, alijs succis dilutum & viribus fractum, levi appulsu efficere possit, æstimare promptum est.

29. De Calculo renum extirpando idem esto judicium; qui si in tantam excrevit molem, eamq; in figuram, ut per ureteras egredi nequeat: desperatus est, ni viam ipse sibi exeundi paret, ut in exemplo 4. 13.

30. Parvos renum calculos, item rotundos & leves, & arenas, tum solvere tum expellere non est difficile: modò æger sit dicto audiens & reliqua suffragentur ad solutionem & expulsionem requisita, nempe robur naturæ expellentis, & viarum laxitas. Magni verò & ramosi per omnes renum sinus dispersi, expulsioni resistunt. Vide 3. 17. & 4. 14.

31. Proindè viderint molles & ignavi salutis propriæ desertores, qui ad quamlibet medicamenti oblationem nauseant, omnemq; in principio medendi occasionem procrastinant, tantisper dum calculus in eam molem & figuram excrescat, quæ posteà omnem medicationem respuat, ut 4. 14.

32. Quanto tempore opus sit ad Calculi curationem, exactè

definiri nequit: cùm non eadem in omnibus ratio sit partis subjectæ, non meatuum, non facultatis expellentis, non materiæ frangendæ expellendæq., non causæ antecedentis, non idem ægrorum omnium in obtemperando studium promptitudo & voluntas: cùm neq. doctrina de crisibus & tempore decretorio in hoc affectu chronico locum habeat, perinde atq. in morbis acutis, ubi ex prælucentibus pepasmi signis de morbi vigore & futuræ solutionis die pronunciamus.

33. Quibus malum hoc est hæreditarium è calculosorum parentum semine traductum: eos difficiliùs curari est consentaneum. utq. hi præ reliquis Medico curanti aures præbeant benigniores obsequentioresq., omninò par est.

34. Porrò cùm unica tantum via sit calculi excernendi, nempe via urinaria: non est quod hac in parte signorum differentias quæramus.

35. Pertinet huc mirabilis historia quam Forestus, refert schol. obser. 22. lib. 34. ex Alexandro Benedicto Veronensi scriptore Anatomico, de virgine quadam, quæ tempore quodam sellæ insidens, vesicæ apertâ & patefactâ cervice, magno impetu ingens lapidis pondus in sellam demisit: in cujus diffracti medio reperta sit acus crinalis, quam virgo hæc olim deglutiverat. Transierat acus hæc per varios venarum meandros, tandemq. ad vesicam pervenerat, ubi mucosus humor circa illam collectus, illiq. adhærescens sensim in lapidem concreverat tantæ molis, quæ magnitudine ovum gallinaceum adæquaret, virgine paulatim ad extremam tabem redactâ.

36. Ubi illud obiter dixerim, in ijs qui longo tempore laborârunt renum calculo, jamq. permultos subinde & majusculos calculos excreverunt, in ijs inquam ureteras paulatim dilatari, adeò quidem, ut scribat Fernelius in nonnullis ureteras repertos esse tam amplos, ut major in eos digitus immitti potuerit.

37. Aliquando Lapis viâ ordinariâ & naturali relictâ, ipse

ipse sibi viam parat extraordinariam, ut patet in exemplo calculi renum quod adduximus 4. 13.

38. Cui addo historiam de Lapide Vesicæ quam tradit Valetius Exerc. 49. in Hollerium. Erat Burdegalæ in suburbijs Divi Severini lignarius faber, qui calculo vexabatur, figurâ, ut postea ex conspectu constitit, longiore. Hic cùm ab imâ parte acutior & asperior esset: vesicam prærupit, tum & testiculorum tunicâ præfractâ, post multos ac penè intolerabiles dolores tandem in conspectum venit, quo facilè deducto, cùm multi hominem moriturum judicarent, ille tamen præter opinionem convaluit: hoc solùm ex tanto malo hominis incommodo relicto, quòd inde semper urinam reddit. Idem de quodam Nicolao rustico recenset Benivenius cap. 78. lib. de abd. morb. caus.

Cap. XIII.

De Curatione Calculi in genere & Scopis curandi.

1. Scopi Curationis duo sunt summi & præcipui. 1. ut Calculus jam factus quam primùm è corpore tollatur. 2. deinde ut præcaveatur ne in locum expulsi novus succrescat.

2. Ad utrumq; scopum consectandum assequendumq; tribus opus est instrumentis, nempe convenienti Victus ratione, Medicamentis intrinsecus assumptis, Et denique præsidijs externè adhibitis.

3. In adhibitione verò dictorum instrumentorum methodô opus est: præposteræ enim medicandi ratio complures calculosorum myriadas internecioni dedit.

4. Et locum habet jam hoc in loco dictum Plinij scribentis: In Medicinâ omnium artium solâ evenire, ut cuilibet Medicum se professo statim credatur: cùm sit periculum in nullo mendacio majus. Tum præterea: Nullam esse legem quæ puniat insciti am capitalem. Discere id hominum genus periculis aliorum,

rum, & experimenta per mortes agere, soliq; medico hominem occidisse impunitatem summam esse.

5. Quibus equidem nefandis sceleribus ut remedium invenirent non tantùm celebres quædam Germaniæ verùm etiam aliarum gentium Respublicæ: legibus caverunt, ne quis intra mœnia sua Medicinam facitet, qui non in collegium Medicorum legitimè sit cooptatus: in collegium verò Medicorum nemo cooptetur, qui nequeat idoneum eruditionis suæ, à laudabili quapiam acceptum Academiâ, edere testimonium.

6. Quare viderint sanè illi, qui idiotis, prophanis, Judæis, monachis, histrionibus, rasoribus, anubus, mulierculis, artis pharmaceuticæ proditoribus & desertoribus, agyrthis, serdonibus aliisq; id genus hominibus, vitam suam contredere malunt, quàm Medicis legitimè ordinatis. Sed ad rem.

7. Cùm autem pro utroq; jam paulò antè præstituto Scopo consequendo, commune instrumentum sit proba & idonea Victus ratio: de hac ut omnium primò agamus, ipsa ratio ordinis suo quodam jure postulare videtur.

8. Mox dehinc, quô filô, ipso affligentis paroxysmi tempore, curatio ducenda sit, docebimus.

9. Ubi equidem non à diureticorum exhibitione initium capere oportet, sed ab enemate quod blandè purgando & derivando renes ab exteriùs incumbente onere liberet, quod vi anodynâ dolorem sedet, quod vias urinarias laxiores reddat, ipsamq; materiam obstruentem, quæ præter calculum adesse solet, emolliat, calculumq; ad unà cum urinâ exeundum sollicitet.

10. Ad eundem scopum mox & alia collimare debent externè adhibita: qualia sunt fotus seu fomentationes, insessus, catapasmata, sacculi, emplastra, inunctiones, ventosæ seu cucurbitulæ sine scarificatione, catheter.

11. Vomitus, qui eo tempore suapte sponte adest, non compescendus sed juvandus est potiùs: quippe qui & causam antedentem

dentem evacuet, & continentem revellat, ipsumq; calculum loco moveat.

12. Venæ sectio, siquidem ejus administrandæ indicationes adfuerint, statim etiam ab initio, à primo mox enemate, in usum erit adhibenda: Secant autem si plethora adsit venam cubiti; alioqui venam quæ est sub poplite, aut quæ in malleolis secuisse contenti.

13. Si urinæ adsit retentio, eaq; consistat non in ureteribus, sed in orificio vesicæ: tum Catheter utiliter adhiberi poterit, sed qui peritum requirit artificem, qui illæsis partibus catheterem immittendi dexteritate sit præditus, ægro vel supino cubante, vel scamno insidente, divaricatis genibus. Debet autem cum urinam educere volumus, per Catheteris concavitatem filum traduci, & inferius foramen lanâ obstrui, quo post immissionem reserato, & filo subducto, urina sequatur.

14. Vijs ita relaxatis, ampliatis & dilatatis, materiâ emollitâ & præparatâ, alvo subductâ, urinâ fluentes tum demum ad diuretica est deveniendum, sed quæ neq; nimiùm calida sint, neq; nimiùm sicca: qualium infrà suo loco satis magnam sylvam trademus tum simplicium tum compositorum. Atq; hæc quidem hactenus de Scopo primo Curationis instituendæ tempore Paroxysmi.

15. Ubi æger è paroxysmo fuerit eluctatus, & à præsenti malo liberatus: tum deinceps ad alterum Medicationis, nempe Præcautionis, scopum transire oportebit.

16. Primò itaq; loco nihil habebit prius quàm ut rectam Victus rationem teneat.

17. Altero deinde loco de causâ antecedente calculificâ è corpore expurgandâ erit sollicitus, id quod commodè fiet tum alio medicamento, tum maximè convenienti apozemate, quolibet bimestri tempore, aut temporis spatio paulò longiore, subindè interposito usu Cassiæ recenter extractæ, aut mannæ aut alterius lenientis,

nientis, & si alvo sit astrictiore, subindè injecto enemate humectante & blandè alvum subducente, nullo admixto catharctico validiore.

18. Dum hæc ita fiunt, quotidie utatur diuretico aliquo familiari, qualia suo loco trademus. Utatur autem manè jejuno stomacho, ne quis invius sit obex transituro medicamento, vel etiam quartâ pomeridianâ, horâ unâ & alterâ antecœnam.

19. Præcautionis tempore partium etiam roborandarum habenda est ratio, maximè Ventriculi, qui tempore paroxysmi multo vomitu fuit debilitatus.

20. Ita tamen, ne vomitu prorsus omni abstineat, sed si facilè vomat, quandoq; semel aut bis in mense à cœnâ, sumpto seminis raphani decocto tepido cum oximelite, ventriculi pituitam ejiciat.

Cap. XIV.
De Victus ratione.

1. Aëris constitutio humida crassa nebulosa generat materiam calculi, sicca eandem condensat, siccitatem parit calor aut frigus: Ergo aëris constitutio convenit calculosis temperata.

2. Cibus imprimis ne peccet quantitate, neq; continuâ neq; discretâ, fugienda repletio & satietas, itemq; ferculorum multitudo & varietas, tum etiam inordinatum esitandi potitandiq; tempus & modus.

3. Substantiâ & qualitate sit talis, qui neq; materiam Calculo generando suppeditet, neq; causam calculi efficientem principalem adjuvet, neq; obstructiones pariat. Facessat ergo à calculosorum mensis Lac, Oxygala, Caseus, de quibus cap. 8. diximus ex Galeno 3. de aliment. facul. 15. 16. & 17. undè horum differentias petere promptum est. Victus rationem calculosis servandam tradidit in hæc verba Mercurialis, Inter cibos, inquit, sunt fugiendi crassi, acuti, salsi, amari, dulces, lacticinia præter lac asininum. Similiter vitanda ova dura, caseus,

panis

panis azymus, caro bubula & agnina, caro caprarum, hirci, suilla, omnes aves lacustres, omnium animalium interiora etiam noxia sunt, ut pulmones, ventres, cerebra, jecinora, splen, intestina, renes & testes. Similiter etiam fugiendi omnes pisces crassi & lacustres, & omnia conchylia, gambari; omnes fructus difficilis concoctionis, castaneæ, cydonia, mespila, corna, cepæ, allia, raphani, pistacia, omnia turdorum genera. Condimenta crassa & Gelatina. Omnia legumina præter ciceres rub. omnia aromata, omni tempore, ijs qvi cupiunt præservari à lapide, fugienda sunt. Cruditates, indigestiones omnes.

4. Cibi verò qvi conveniunt, sunt omnes ij, ex qvibus gignuntur succi tenues & qvi facilè coqvuntur, & pauciſsima gignunt excrementa, ut est panis cum modico furfure factus, carnes avium & passerculorum, turdorum, caro hædorum, caro omnis sylvestrium lactantium. Ex fructibus, nuclei pinei, amygdalæ, pistacia, nuclei persicorum, & ferè omnium fructuum, cerasorum, olivæ, passulæ, cappares, ficus recentes, anguriæ, pepones. Inter herbas atriplex convenit, borago, fœniculus, asparagus, cichorium, pastinaca, petroselinum.

5. TRINCAVELLIUS *in victus ratione tradendâ admodum parcus est. Summatim vult ut Victus sit attenuans, ita tamen, ut sit ex mediâ materiâ, non autem insigniter calefaciens. De solo pane sollicitè admonet, eum esse utiliorem qvi non sit omninò expers furfuris, & minimè probandos esse panes qvi albissimi sunt & similaginei ab aliqvibus appellantur: imò furfuraceum panem commestum in primâ mensâ detergendo adjuvare dejectiones alvi.*

6. CAPIVACCIUS *monet in Victu abstinendum esse ab his qvæ conficiuntur è pastâ & lacte.* RUDIUS *in genere vult victus rationem esse attenuantem.* VIDIUS *præcipit declinanda esse alimenta ex qvibus crassi viscidi & limosi succi contrahuntur. Et horum loco qvantitate qvidem pauca, qvalitate autem incidentia potiùs & extenuantia præscribenda præsertim si homines frigidiores crassiq; atq; obesi tractandi sint, nam gracilibus*

admodum, adustis q; ac qvàm minimè carnosis extenuantium atq; incidentium alimentorum usum esse admodum noxium, & propterea talibus temperata alimenta tutius præscribenda. Post pauca subdit. Sit ergo cibus panis non ex purâ farinâ confectus, sed ex eâ qvæ aliqvid contriti furfuris adhuc retineat, probè tamen fermentatus, subactus ac coctus, cui utiliter adjicitur aliqvid salis & anisi seu fœniculi, præsertim si æger sit prædirus ventriculo frigidiore, & habitu totius corporis pingvi atq; obeso. Carnes eligantur avicularum montanarum ut passerculorum, turdorum, perdicum, attagenarum, veluti & pullorum gallinaceorum, ac columbaceorum, sive etiam caponum qvi ruri potius qvàm in civitate nutriantur &c. Juvant & pisces saxatiles; & potissimùm pelagici, sicut & sardinia salsamenta. Vitentur autem carnes omnes duræ viscidæ aut glutinosæ. Vitetur & caseus veluti & qvodcunq; edulij genus qvod ex caseo & pastâ conficitur.

7. WECKERUS. Convenit panis probè formentatus, Caro pullorum, gallinarum, caponum, turdorum, perdicum, vervecina, hædina, &c. Vitella ovorum tremula. Ex piscibus troctæ, soleæ, plaiciæ, sabocæ, salmo, laurax, &c. Ex leguminibus Cicera, ptisana hordeacea. Ex oleribus cicborium, endivia, apium, petroselinum, folia raphani, asparagus, beta, &c. Ex fructibus amygdalæ, pistacia, nuclei pini, uva passa, cappares, melones, pepones &c. Nocent caro bubula, porcina, cervina, caseus, ova dura, lac, cibus acris, dulcis, crassus, tenax, pingvis &c.

8. FORESTUS *lib. 24. Obser. 13. 16. 18. & 23. Victus rationem calculosis servandam, undiqvaq; collectam concinnavit; qvi videri & legi poterit, cùm longior sit qvàm ut huc adscribi omnis debeat.*

9. *Nos cap. 8. qvi cibi calculum generent, diximus: his itaq; contrarij sunt calculosis præscribendi, qvos generaliter tales esse oportet ut sint boni succi, concoctu faciles, nec multum generent excrementorum flatuumvé, nec obstructiones pariant, nec renes exsiccent, calefaciant, vel nimiùm refrigerent. Tales autem*

suna

sunt panis non planè furfuris exors, benè fermentatus, subactus & coctus, sale conditus, quandoq; & aniso, aut fœniculo. Inter domesticas carnes laudatur vitulina, vervecina, hædorum, gallinæ, caponis, columbi, phasiani, pullorum, pipionum, passerum, vitella ovorum tremula. E sylvestribus & montanis animalibus est caro capreoli, lepusculi, cuniculi, & caro omnis sylvestrium lactantium. Deinde & caro avium montanarum, perdicis, liviæ, palumbi, vanelli, coturnicis, attagenis, turturis, turdi, & ejus avis quæ Gallinago dicitur; Rusticula Martiali & Plinio, Scolopax Aristoteli & Nemesiano Olympio insigni poëtæ, Hollandis verò Sneppa, alaudæ, merulæ, sturni, ficedulæ, præcipua verò gloria est avicula Troglodytes, de quâ prolixè Paulus. & si quid simile id genus est oscinum, ut acanthis, aurivittis, carduelis, chloris, fringilla, parus, regulus, rubellio, rubicilla. Inter pisces pro melioribus habentur saxatiles, squamosi, & qui degunt in aquis fluentibus, claris & lympidis, ut Lucius, perca, & porculus seu porcellus, qui idem & cernua, salmo, aurata, salar, trocta seu truta, govius qui & fundulus, aliiq; id genus. Cyprinus etsi squamatus sit, & ferè in deliciis habeatur: ob copiam tamen limosi succi improbatur. Quæ herbæ calculosis conveniant, è Mercuriali & Weckero recitavimus thesi 4. & 5. quibus addo cerefolium singulare calculi remedium, & anethum, abrotanum, crithmum seu cretam marinam, malvam, althæam, sonchum, nasturtium, summitates lupuli. Inter fructus principem facilè locum tenent ficus, è quibus adversus calculum admirabile medicamentum parari, testis est gravissimus, Hieron. Capivaccius, de quo postea suo loco. De passulis varius est Rondeletius; quippe qui nunc eas commendet & prædicet, nunc rursum improbet, dicatq; nocere vesicæ: nî fortè per passulas intelligat Corynthiacas, per uvas passas verò σαφίδες, quas vulgò passulas majores vocamus. Legumina etsi pleraq; omnia inimica sint calculosis: inter hæc tamen sunt ciceres rubri, quibus ex-

pugnando calculo remedium vix ullum invenias præstantius. Curent autem Calculosi, ut herbis oleribus leguminibus & in universum cibarijs omnibus diureticam vim habentibus prudenter utantur, nempe non nisi præpurgato corpore: ne illorum impetu impurior corporis sentina omnis ad renes derivetur. Deinde ne intermisceant ea alijs cibis, sed solis vescantur, jejuno & vacuo ventriculo: ne quis obex seu obstaculum ijs sit ad renes permeandi, nevé aliorum ingestorum excrementa secum rapiant, atq; ad renes devehant.

10. Potus Calculosorum esto hydromel simplex benè paratum, quô si quis nullâ dum existente renum inflammatione, aut notabili calore præternaturali, utplurimùm utatur: non puto fieri posse ut calculo fiat obnoxius: nî fortè inevitabilem calculosam dispositionem indè ab ortu ex ipso calculosorum parentum semine sit nactus. Tantâ resolvendi abstergendiq; vi pollet mel, & tantâ renes humectandi melq; contemperandi vi pollet aqva! Infelices sunt qvicunq; laborant calculo, infeliciores qvotqvot calculosi hunc potum, nescio qvâ idiosyncrasiâ, qvavé naturæ antipatheiâ aversantur. Remedium certè summum in calculo præcavendo & curando modi 4. Vinum qvo utantur Calculosi, esto non musteum, non recens, sed ita vetus, ut, fervefactione peracta, benè & perfectè sit defecatum, hoc est, annuum, id qvod vinum hornum nuncupârunt, undè Germanicum Vernewyn fluxisse autumo: differtq; ab annoso qvod præ vetustate non vilescit modò, verum etiam villescit vappescitq;, ideoq; & edentulum vocatur. Undè versiculus:

Vivat in æternum, qvi dat mihi dulce falernum.
Qvi mihi dat villum, mala passio torqveat illum.

Non sit crassum, non nigrum, qvalia sunt Hyspanica, Cretica &c. sed tenuium partium, qvale est Rhenanum, non rubrũ sed album, non crudum, qvalia ferè perhibentur esse vina Tigurina, sed maturum, non fugiens, non exolescens, non acescens, non pendulum

sed

sed consistens, & siquidem generosius sit, diluatur lymphâ. Cerevisia granis sit cocta bonis, & sit benè clara, non recens & feculenta, sed benè depurata & mediâ ætate consistens, qualem schola Salernitana vocat satis veteratam. Græci Medicinæ Scriptores laudant potum aquæ tepidæ, ante cibum; vel potum aquæ frigidæ inter cibos; quòd hoc medicamentum non parum remittat renum incendium. Aqua verò quam potent Calculosi sit optima: quæ nam autem optima sit, non est hujus loci prolixè tradere. Non enim, dicente Galeno 6. Epid. com. 4. §. 19. Medici munus est, qualibet occasione, tam longam, de rerum naturâ, orationem habere. Breviter ea est optima, quæ est Cos, hoc est, quæ Gustu nullam planè qualitatem præ se ferat: Visu sit puræ syncera & exquisitè clara: denique Olfactu sit talis, cui nihil insit eorum, quæ in aquis vitiosis esse olfactus testatur, ut sunt aciditas, putredo, acredo, salsedo, aliquodvé aliud vitium quod nomine careat &c. Vide Gal. lib. de ren. affect. cap. 7. Et 1. de san. tuend. 11. tum etiam 1. simpl. med. fac. 4. Quod si autem aqua loci ubi degit æger suapte naturâ impurior sit: corrigatur purificeturque arte coctionis. de quâ Galenus Com. in lib. Hip. de aëre aq. & loc. cap. 4. & 5. deinde & 6. Epid. com. 4. §. 10. Locus uterque lectu meherclè dignissimus, & Calculosis etiam atque etiam perpendendus.

11. Exercitium corporis convenit moderatum: itaque invitante cœli ad deambulandum serenitate, horam unam ante prandium, & si placet unamquoque ante cœnam, deambulationi tribuat: sin cœli absit serenitas, sub tecto inambulet. A pastu & sumpto cibo teneat regulam commanem, quæ jubet tantisper stare aut ambulare dum ingestus cibus ventriculi fundum petat: deinde conquiescat.

12. Neque tamen statim à cibo dormiat. Sicut enim immoderata vigilia siccitatem corpori inducunt: ita somnus multus

maximè diurnus & meridianus hominem multâ pituitâ cumulat. Modus itaq; hac etiam in re teneatur.

13. Alvum oportet habeat qvotidie obsequentem, qvam ad rem subindè prunorum & passularum jusculo uti poterit: tum præterea si qvæ æger à natura alias habeat consvetas excretiones, has non oportet supprimi, qvales sunt in nonnullis hæmorrhoides, & menses in mulieribus. Hæ excretiones & aliæ qvæcunq; naturales si non eant suapte sponte, opus erit ut arte procurentur: sed moderatè tamen & secundum naturam. Excessus enim omnis non minus qvàm defectus naturæ est inimicus.

14. Animi affectuum habenas rectè & ritè moderabitur æger, qvales imprimis sunt Excandescentia, ægrimonia seu ægritudo, libido, metus, æmulatio, invidentia, mœror, morositas, amentia, obtrectatio, solicitudo, confusio, angor, luctus, ærumna, dolor, lamentatio, molestia, afflictatio, desperatio: de qvibus plura apud Philosophos.

Cap. XV.
De Curatione Calculi, tempore Paroxysmi.

Diæta. 1. De victus ratione dixi capite præcedenti, qvæ huc est transferenda.

Clyster. 2. Deinde proximum est ut hoc vel simile clysma injiciamus. R. rad. malvæ, althææ, lil. alb. glycyr. rasæ ana. ℥. ß. herb. malvæ, althææ, parietariæ, ana. m. i. flor chamomil. melilot. ana. m. ÿ. Sem. lini contusi ℥. i. sem. malvæ & alth. ana. 3. iij. 4. sem. frig. maj. ana 3. ÿ. anisi, fœnic. ana 3. i. ficuum ping. incis. no. ix. f. decoctio ex s. q. aq. com. slentq; herbæ, decoctione peractâ, in decocto horas duas. Deinde accipe dicti decocti unc. x. & in his dilue mellis despum. olei camomil. anet. lil. alb. ana. ℥. i. Purgantis addendi non una eademq; in omnibus est ratio. In ÿs qvi alvum habent lubricam

bricam, nec clysma retinere diu possunt, sufficit si cassiæ extractæ pro Clysteribus ℈. 1. admisceamus. In alijs accipiatur Electuarij benedictæ laxativæ aliqua quantitas. Ego ferè soleo accipere ℈. ß. plus minusvé. Aliquando sum contentus 3. ij. quòd videam ægros diagrediata, aliaq; fortiora cathartica diu retinere non posse: Licebit etiam minuere ipsam decocti injiciendi dosin, ut melius & diutius retineatur.

3. Hic Clyster magnæ & multæ est utilitatis, dolorem sedat, renes ab incumbente fœtum onere liberat, partes laxat, materiam in renibus, ureteribus, & vesica obstructionis causam emollit & resolvit, calculumq; ad exeundum sollicitat.

4. Ubi Clyster officio suo erit defunctus: mox ad venæ sectionem est properandum: modò eam usus & necessitas expostulaverint. Secant autem Neoterici Plethoricis venam cubiti, durante adhuc in partem inflammatam affluxu: alioqui venam poplitis aut malleoli, cum Hip. & Gal. 6. Epid. com. 1 §. 6. Venæ sectio.

5. Deindè statim ex decocti magmate, fiat Cataplasma, quod calidè duplicato linteo impositum involutumq; ingvinibus & pubi imponatur. Cataplasma.

6. Ubi Cataplasma refrigerari inceptat, amoveatur, & locus dolens in regione lumborum & ingvinibus tum ipsum quoq; perinæum & pecten inungatur ungvento aliquo quod neq; calefaciendo renum calorem augeat, neq; refrigerando materiam calculificam condenset ipsumq; calculum retineat, sed sit anodynum, & moderatè resolvens, tum insuper qualitate specificâ urinam & cum urinâ calculum ducat. quale v. g. est hoc. R. Ol. scorpion. lil. alb. camomil. ana 3. iij. Cera parum. f. Limentum. Possunt addi & alia olea ut amygdalar. dul. viol. anethinum, &c. & pingvedines Caponis, gallinæ, anseris, anatis, &c. butyrum recens, ung. dialth. rosar. &c. Ungventum.

7. Loco dicti Cataplasmatis fotu seu fomento uti poterimus, accipiendo decoctum superioris clysmatis, quo nonnunquam spon- Fotus.

spongiam imbuimus, & loco affecto calidè applicamus, quandoq; eodem decocto vesicam replemus, quam & ipsam ad ingvina apponimus. Sæpè de girgillo telam linariam recentem detraxi, & coctam è lixivio vel urinâ humanâ loco affecto pro fomento adhibui optimo successu. Oportet autem usum Clysteris & Cataplasmatis sive fotus, & inunctionis reciprocatis vicibus continuare, tantisper dum urina liberiùs fluat.

Decoctum. 8. His ita in usum adhibitis, propinare ægro licebit decoctum Foresti, cujus hæc est descriptio. R. sem. malvæ, althææ, ana ʒ. iij. Cicer. rubr. ℥. iij. sem. 4. frig. maj. ana ʒ. ij. hord. mundi ℥. ij. Caricar. ping. numero ix. sebestien numero vij. glycyrrh. raſ. ʒ. vj. f. decoctio in lb. iiij. aqvæ pluvial. ad consump. mediet. Decoctum bibat æger.

Insessus. 9. Mox Insessus paretur ex herbis convenientibus. V. g. R. malvæ, bismalvæ, parietariæ, serpilli, abrotani, arthemisiæ cerefolij. flor. camomil. meliloti, ana aliqvot manipulos, puta iiij. vel v. vel aliqvanto plus. Æstate addantur uterq; raphanus, fæniculum, apium & petroselinum cum toto, radicibus contusis. In harum decocto calido, in vas aptum infuso, consideat æger usq; ad renum regionem. Qvod si qvis diuretica qvædam concisa, contusaq; & sacculo inclusa ad insessum seu balneum addere volet: non refragabor. qvalia v. g. sunt, radices ononidis, glycyr. bibinellæ, fili pendulæ, urticæ, baccæ Juniperi, semen Alkakengi, dauci, fæniculi, petroselini, milij solis &c. Æger dum sedet in Insessu: de superiori decocto bibat bonum hauſtum.

Ventosæ. 10. Hoc jam loco, si usus postulabit, de Cucurbitulis aut Ventosis est dispiciendum. qvæ, calculo in ureteribus obhærente, ita sub loco doloris una post aliam supra ureteras in regione ingvinum sine omni prorsus scarificatione applicabuntur, ut calculus paulatim ad vesicam protrahatur.

Catheter. 11. Catheteri in calculo renum non est locus, nisi tum demum ubi ille in vesicam delapsus ibidemq; collectus & auctus, ita ori-

orificium vesicæ obstruit, ut urina omnis retenta ægrum magnis doloribus angat.

12. Ubi itaq; jam urina liberiori impetu excernitur: tum demum liberaliore manu diuretica (quorum sequenti capite sylvam sat floridam trademus) in usum sunt expromenda: in quorum delectu judiciô opus est, ne in calida & sicca renum intemperie, oleum, quod ajunt, camino addamus.

13. Ego cum collegâ mihi adjuncto Dn. Nicolao Simonio, reipub. Sondensis medico ordinario, & insigni practico, in curatione Magnifici viri, Dn. D. Joannis Domanni, JCti clarissimi, Hanseæ Teutonum & urbis Rosarum Syndici consultissimi, calculo renum laborantis, cùm ille usum medicamentorum intrinsecus assumendorum penè omnem respueret: præmissâ clysterum, fotuum, insessionum & inunctionum adhibitione, bono tandem cum successu, usi sumus infuso baccarum Juniperi, quas vino Rhenano optimo immaceravimus, infusum ager bibit, & baccarum aliquot nonnunquam dentibus contritas deglutivit: quo id sanè, divinâ aspirante gratiâ, obtinuimus, ut ille calculos cum urinâ rejecerit tum multos tum magnos, quorum aliqui magnitudine pisum adæquarent, aliqui etiam superarent, tum præterea calculosæ glareæ & sabuli vim propè incredibilem. Diuretica.

Cap. XVI.

De Præcautione Calculi, tempore intermissionis.

1. Tradidi rationem calculi tempore paroxysmi curandi: nunc de præcautione, quæ sit tempore intermissionis, videamus.

2. Imprimis igitur ager abstineat à causis Calculi externis, quas cap. 8. edisseruimus, & eam teneat vivendi rationem, quam tradidimus cap. 14.

3. Deinde experiti alicujus Medici præscripto, tempore quolibet bimestri aut trimestri, corpus evacuet, libereturq; à causâ antecedente, quæ subindè repullulare solet.

4. Poterit verbi gratiâ, uti hoc decocto. R. rad. polyp. querc. recent. cort. radic. fœnicul. apij, ana. ℥. ß. glycyr. raſ. 3. ij. herb. fumariæ, mercurialis. capil. Ven. flor. camil. rom. ana. m. i. ſem. 4. frig. maj. aniſi fœnic. ana. 3. i. fic. ping. inciſ. numero v. paſſul. enucl. ℥. i. flor. cord. ana. p. i. f. l. a. decoctio ex ſ. q. aq. com. ſtentq; herbæ poſt decoctionem in decocto horas duas, deinde f. expreſſio & clarificatio. In hujus decocti clari uncijs quatuor, dilue ſpec. diaturb. cum rhab. ſirup. iiij. & f. hauſtus; cui licebit addere ſyrupi alicujus convenientis, puta byzantini, de duabus aut quinq; radicibus, vel etiam de althea, aut ghyrrhiza ℥. i. Si quod aliud magis placet catharticum, ut Benedicta laxativa, Diaphœnicon, Indum, Diacarthamum, Eleſcof. Confectio Hamech: utatur Medicus pro ratione ſubjecti corporis delectu. In imbecillioribus ſuffecerit Diacatholicon, aut Elect. lenitivum, aut ſimile quod piam.

5. Interea temporis non intermittet alvum quandoq; eluere caſſiæ recenter extractæ 3. vj. vel ℥. i. in bolo devoratæ.

6. Proderit etiam nonnunquam Mannæ granatæ unciam in juſculo carnium diſſolutam percolatamq;, pro lenienda alvo, ebibere.

7. Subindè uti quoq; poterit enemate, quod capite 15. præſcripſimus.

8. Quòd ſi videbitur Venæ ſectione opus eſſe: de hac Medici judicium & conſilium perquirat. Vid. 15. 4.

9. Corpore præpurgato, ut diximus 13. 18 quotidiè utatur manè jejuno ſtomacho, aliquo diuretico, quo renes expurgentur ab omni fœdâ colluvie.

10. Jam hîc promptuarium videtur aperiendum medicamentorum, quæ calculos comminuunt, pariterq; & educunt, ut deſinant vetula, & reliquum Medicaſtrorum genus, quod indicavimus 13 6. ſua poſthac venditare ſecreta & arcana, diſcantq; ſacrilegas manus ſuas ab occidendis calculoſis deinceps abſtinere.

11. Sunt

11. *Sunt autem horum Medicamentorum, alia Simplicia & alia Compositæ.*

12. *Simplicia his potissimùm generibus comprehenduntur, ut sint vel radices, vel semina, vel herbæ, vel flores, vel fructus, vel gummi, vel liquores, vel metalla, vel animalia, vel partes animalium, vel excrementa, vel Lapides: quorum singulorum exempla aliquot in medium adferemus.*

13. *De genere radicum sunt radix Ononidis, maximè radicis cortex, saxifragiæ majoris, saxifragiæ minoris, quæ & filipendula dicitur, Apij, Petroselini, fæniculi, asparagi, bruscí, graminis, urticæ, rubi, rubiæ, raphani utriusq;, althææ, malvæ, glycyrrhizæ, scolymi sive articocali, asari, enulæ campanæ, quinquefolij, aristolochiæ, ireos, betonicæ, peucedani, cyperi, scyllæ, capparorum, imperatoriæ, lauri, rapum genistæ.* Radices.

14. *De seminibus sunt semen lithospermatis, althææ, malvæ, viticis, genistæ, Juniperi, hederæ, ciceres rubri, semen paljuri, carpesiæ, petroselini, apij, dauci, grana mespilorum.* Semina.

15. *In Classe herbarum sunt Clynopodium, betonica, capillus Veneris, polium, lupulus, asplenium, asarum, ruta agrestis, meu, pulegium, phu, chamepythis, saxifragia, sion, carduus, xanthion seu lappa minor, arthemisia, parthemum seu matricaria, umbilicus Veneris, hypericum, lithospermon, Struthion, oxalis, sonchus, portulaca marina seu Crithmon, parietaria, petroselinum, apium, capillus Veneris, ruta muraria, cerefolium, camomilla, nasturtium aquaticum, fol. quercus, juxta Rulandum.* Herbæ.

16. *Inter flores sunt flores genistæ, camomillæ, meliloti, malvæ, bismalvæ, vetonicæ, heranthemi.* Flores.

17. *Ad Classem fructuum pertinent, ficus, amygdalæ amaræ, cappares, tribuli, nuclei cerasorum, pini, persicorum, Alkekengi, fructus Kinosbati, & fungus seu bedegar in illa frutice excrescens.* Fructus.

18. *De genere Gummi & resinarum laudantur gummi cerasorum, gummi prunorum, & Terebinthina.* Gummi.

Liqvores. 19. *In ordine liqvorum sunt, acetum scillinum, oximel, hydromel, succus parietariæ, decoctum rad. apij, rubiæ, asparagorum, radicum malvæ, Cicerum, &c. Succus citri & limonum, Spiritus Vitrioli, Oleum Crystalli.*

Metalla. 20. *In Classe Metallorum ponuntur Vitrum combustum, Chrysocolla: his addunt salia, ut sal Ononidis, Juniperi, genistæ, stipitum fabarum, Camomillæ, Nitri.*

Animalia. 21. *De numero animalium sunt vermes terreni, cicadæ, lepus combustus, cauda tremula usta, Troglodytes, aselli seu millepedæ, bestiolæ quæ in lapidarijs fodinis, quasi verrucæ lapidibus obhæresc unt.*

Part. animal. 22. *De partibus animalium sunt pellis leporis cremata, renes leporis siccati, cinis ungulæ equi, plumarum palumborum, testæ cochlearum, cancrorum, testæ ovorum è quibus pulli recens sunt excluſi, imprimis struthiocameli, epatis asini.*

Excrementa. 23. *Jam & Excrementa animalium quorundam adversus calculum remedio sunt, ut stercus murium in aceto tritum, Lotium capræ montanæ & Sanguis hirci exiccatus, & cum vino potus: sunt qui & sanguinem vulpis commendent.*

Lapides. 24. *Denig; perhibentur & lapides calculi remedia, ut Lapis Judaicus, Lapis spongiæ, lapis Lyncis, lapis ab homine rejectus, lapis fluviatilis; quibus addunt succinum album, oculos cancri, lapides percarum, aselli piscis, mandabulas lucij, & ossiculum quod in junctura poplitis posteriorum pedum leporis invenitur, vulgò Hasenspruncke &c. Est præterea & lapis Nephriticus, qui vel externè solùm gestatus, calculum comminuere creditur.*

25. *Percensui catalogum medicamentorum simplicium, calculo expellendo inservientium: jam & composita quædam selectiora commemorabo, & remediorum formulas addam; quibus Practici nonnulli insigniores in curando calculo usi fuerunt.*

26. *Imprimis placet illud Forestianum, quod adduximus 15.8. ideò quod temperatum sit, & præsente etiam febre, eo uti liceat.*

27. *Idem*

27. Idem author complura etiam alia collegit in schol. Obser. 25. lib. 24. E quibus hæc excerpere libuit. Joan. Adriani calculosus, solâ radice lappæ in cerevisiâ decoctâ sibi ipsi lotium provocabat. Alius radice urticæ & lappæ majoris in cerevisiâ communi etiam decoctâ. Quidam terna allij capita decocta manè assumebat: eodem die rupto calculo, protinùs urina profluebat, & dolore levabatur. Manardus cinerem fabarum, cum vino Pictavienſi inſtar lixivij colabat, cujus duo cochlearia aut tria ad ſummum, ſimo columbino pauco immixto potabat, cùm ex calculo mingere non poſſet. Idq; in diluculo cum ſumpſiſſet, in continenti minxit, & unà lapidum fragmenta cum urinâ exibant. Referebat adeò vehemens eſſe medicamentum, ut per totum corpus ſudor efflueret: tamen arcanum infallibile eſt, & ex eo ſemper mingebat. Gvainerus commendat ſtercus palumborum rubeorum, qui prius tamen nutrtendi ſemine lini, deinde hoc ſtercus præparandum, factâ infuſione in aceto vini. Gerardus Theodorus Meliſſius, ſeptuagenarius, cùm calculo & difficultate mingendi & ardore intolerabili afficeretur Delphis; Apium viride cum lacte bubulo decoxit, addito pauco aqvæ & ſalis: eo remedio fruſta calculorum rejecit, & dolor ſedatus eſt, atq; ardor urinæ. Memini qvoq; Empiricum lapillos albos repertos in littore maris ignitos in vino Rhenano, modò in Pictavienſi exſtinxiſſe, & eo vino commodè uſum fuiſſe ad lapides comminuendos & expellendos. Villerius nobilis, cùm calculo laboraret, dolor in rene ac uretere eum lancinabat. Poſt injectum enema ſumpſit oleum amygdal. dulc. cui ſuccus limonis immixtus erat, & pectini apponebat ſacculum ex cumino: qvibus præſidijs calculus expellebatur. Commendat idem Author valdè deſtillatum ſuum, qvod fit ex rad. ononid. & raphani ſylveſtris, cum vino Rhenano in balneo M. deſtillatâ.

28. Rulandi remedia præcipua ſunt, Radix urticæ, & Raphani, fructus Alkekengi & Juniperi. Utitur etiam Lepore combuſto,

semine Lappæ, muſco terreſtri, ſaxifragiâ. capil. Ven. & naſtartio aquatico.

29. Capivaccius ait admirabibe eſſe medicamentùm, quod paratur è granis ficuum.

30. Rondeletius ſyrupum conſcripſit qui lapidem comminuat, Meth. curand. cap. 44. quod eſt de veſicæ Calculo. Deſcriptio videri apud Authorem poterit. Commendatur ab Eraſto. Conſil. 26.

31. Hollerius deſtillatum quoddam medicamentum tradit, quo exiſtimat frangendo calculo remedium forſan non inveniri aliud accommodatius. Deſcriptionem qui volet apud ipſum videat lib. 1. de morb. inter. cap. 48.

32. Eſt mirabilis & notatu digna hiſtoria, quam de Monacho quodam Amatus refert. Cent. 1. curat. 63. & ex Amato Foreſtus. Obſer. 20. lib. 24. Monachus hic cùm articulari morbo ſimul & nephritide corripi ſoleret, & nullo remediorum genere ex multis tentatis benè valeret; tandem monitu Amati aſſiduo terebinthinæ uſu intra ſex menſes liber à dictis morbis evaſit. Erat autem terebinthina nucis magnitudine, quam ſingulis diebus jejunus ſaccharo admixtam deglutiebat. Hæc ille. Sed ſumendi modus facilior eſt, ſi pane azymo, quali ad hoſtias euchariſticas utuntur ſacerdotes, in vino madefacto, involuta deglutiatur.

33. Adſcribam hoc loco Medicamentum, quo utebatur olim Collega noſter D. Wilhelmus Laurenbergius p. m. ad lapidem veſicæ frangendum, & expellendum. Accipiebat aſellos ſeu millepedas murarias, eaſq; in aceto vini macerabat, lavabatq;, lotas ſiccabat, & in pulverem conterebat. præterea accipiebat illud quod in Cynorhodo inſtar fungi excreſcit, vocaturq; à nonnullis Bedegar, ut refert Dodonæus, hanc materiam ſiccatam & ipſam in pulverem redigebat, tandem addebat & ſanguinem hirci præparatum, & tria hæc pari quantitate commiſcebat.

Hujus

Hujus pulveris scrup. ij. plus minus, quotidie bibebat ex aquis diureticis, admixto syrupo de altheâ: quo successu, diximus 12. 27.

34. Sed neq; silentio praterire possum Medicamentum, quô D. Bartholomæus Clingius JC. & ipse hujus olim Academiæ Professor eximius, calculo laborans, fuit usus in omnimodâ urinæ suppressione. Re desperatâ animumq; despondentibus astantibus plerisq; omnibus, accessit quidam cum decocto abrotani in quo sal nitrum dissolvisset. Ebibito medicamento: minxit æger, & urinam reddidit incredibili copiâ.

35. Juvat adhuc unum adducere ex Weckero depromptum, quòd singulare videatur. R. sanguinem de vivis vulpibus, in ollam vitreatam vinum æquo pondere adjicito, lento igne ad prunas decoquito, ad formam pultis: de quâ benè percoctâ, exhibeto ægro novem continuis diebus manè ℈. v. calefactas, inlecto: Abstineat ab omni cibo horas sex. Vidit egregius Medicus hac sumptâ medicinâ multos rejicere quinq; uncias calculi cum lotio.

36. Excreverint theses meæ in immensam molem, si pergam aliorum Medicamenta conquirere. Itaq; illis jam omissis, mearum compositionum unam & alteram in scenam producam, & Colophonis vice superioribus adjiciam.

37. Quod si igitur notabilis appareat renum calor, aut si febricitet æger: uti licebit illo diuretico quod ex Foresto adduximus 15. 8.

38. Sin verò manifesta absit febris: tum propinare licebit hoc nostrum decoctum, quod nec ipsum calore excedit, sed satis temperamentum est: Est autem hoc. R. rad. scolymi seu articocali, rubiæ tinctorum, ononidis, ana ℈. ß. radic apij, petrosel. ana ℈. i. glycyr rasæ ʒ. iij. Herb. Clinopodij m. i. Camomil. Rom. m. ß. Sem lithosperm, altheæ, malvæ, geniſtæ, dauci ana. ʒ. ij. Cicerum rubror. Granor. Juniperi ana. ℈. i. Caricar. ping. numero. ix. fruct. Alkekengi numero xx. Incisis incidendis &

con-

contusis contundendis f. infus. in s. q. aq. com. Coq. unâ & alterâ ebullitione. Deinde amota ab igne, stent super cineres calidos in infusione per noctem. Manè coq. lento igne ad consump. quartæ partis. Cocta stent in decocto ad horas duas tresvé. Tum f. fortis expressio. Expressum clarificetur. Colatura ad lib. ij. servetur usui. Dosis ℈. v. Bibat æger manè jejunus, & à prandio horâ quartâ calidè. Licebit ut bibiturus aliquid hydromellis, aut vini Rhenani admisceat.

39. Quia autem Delicatiores decocta ferè aversantur, ipsaq; aliquanto temporis spatio situm contrahunt & mucaginem quandam; ideò tale paro destillatum. R. Apium & Petroselinum viridia cum toto ana. m. vj. rad. utriusq; raphani, ononidis, urticæ ana. m. iij. Granor. Juniperi lb. 1. fruct. Alkekengi numero 50. Incisis & contusis & facta per octiduum infusione in vini Rhenani, q. s. destillentur in B. M. Non ita pridem & tale destillatum præscribebam cuidam Nephritico. R. ocul. cancr. præp. succini alb. præp. ana. ℈. ß. Infundantur seorsum in vini Rhen. q. s. Deinde R. cort. rad. Ononid. apij, filipend. glycyr. ana. ℈ 1. Herb. Clynopod. camomil. Rom. ana. m. 1. Sem. Junip. ℈. iij. Dauci, genistæ ana. ℈ 1. flor. genistæ, camomil. Rom. ana. m. 1. fruct. Alkekengi numero 50. Infundantur seorsum in vini Rhenani q. s. Dehinc utraq; infusione commixtâ, f. destillatio in B. M.

40. Sed & pulverem nephriticum talem conficio. R. sang. hirci præp. quem in hoc affectu Manum Dei Arabes appellabant, succini alb. præp. ana. 3. ij. sal. Ononidis, Juniperi, genistæ, camomillæ, & salis nitri è nitri tristallo parati, ana. drag. 1. Pulverizata misceantur & loco sicco asserventur. Dosis 3. 1. vel scrup. ij. ex hydromelle aut vino Rhenano.

41. Anno 1607. cùm ab ampliß. hujus urbis Senatu in hanc rempub. non ita pridem essem vocatus; pulverem sequentem nephriticum usualem in Officinâ nostrâ Pharmaceuticâ præscripsi,

scripsi, quô plurimi civium usi sunt magno cum fructu. R. Cort. rad. Ononid. rad. Lauri, radic. saxifrag. major. glycyr. ras. fol. & flor. serpilli ana. 3. ij. Sem. milij Solis, geniste, petroselini, dauci, saxifragiæ majoris ana. 3. i. Succini albi præp. ℈. ß. sanguinis hirci præp. ℈. i. f. omnium pulvis subtilissimus qui servetur usui. Dosis scrup. ij. vel 3. i ex hydromelle aut vino Rhenano.

42. Composita usualia quæ in Officinis prostant, & in Antidotarijs describuntur, præcipuè sunt: Lithon tripon, Electuarium Justinum, de Cineribus scorpionum, Diàlacca, & si quid præterea est majorum compositionum.

43. Cæterùm quod attinet ad solutionem continui curandam, quam in renibus efficere ut plurimùm solet Calculus: huic apprimè convenit Cassia recenter extracta, pro expurgandis renibus: deinde terrebinthia Chia diligenter ex aqua plantaginis iterum iterumq; lota, ad materiam purulentam abstergendam. Demum exhibendi erunt trochisci de Carabe, & Alkekengi: subinde etiam usus erit trochiscorum de terrâ sigillatâ. Propinabuntur autem ex aquâ plantaginis.

Cap. XVII.

In quô, Ecquidnam in Curatione Calculi Quercetanus à Dogmaticis dissentiat, indicatur.

1. In cognitione Calculi quàm rudis quamq; vanus Galeni Reprehensor fuerit Quercetanus: cap. 11. vidimus. Idem vel indè etiam aliquam nominis gloriam surrecturam sibi credidit, si ipsam pariter curandi calculi rationem Galenicam convitijs aspergeret, & Galenicum corrigeret. Magnificat quod benè stat.

2. Consilio suo de Arthrid. & Calculo à pag. 263. usq; ad pag. 273. Dogmaticos, eorumq; rationem medendi omnem putidissimis scommatis tam petulanter exagitat, ut à legibus

modestiæ qvàm longissimè abeat. Ubi qvidem loci, virulentissimâ usus ironiâ, scribere in hæc verba non erubuit, nimirum digna esse Dogmaticorum ingrata, putida & diagrediata remedia qvæ prædicentur, qvôd nauseam creare possint & vomitum antè qvam deguſtentur. Ausim, *inqvit*, addere & istud, solo aspectu. Norunt illud Pharmacopæi, qvi ne nihil egisse videantur, linteis aceto madidis sua pocula argentea medicinalia ægrotanti propinanda obtegunt: ut si non verbis, at odore saltem fallant dubium. Qvod si & eo audaciæ, vel invito etiam palato & ventriculo devenerit, ut hausſtum illum hauserit æger, Dij boni! qvi singultus, qvi ructus, & qvid non deliqviorum misellum non premit! Pharmacopæus astans, & rubore sæpe & madore (si inconfirmatior fuerit) facie delibutus atq; perfusus, ne medicamentum qvod fecit, imperitante medico, in novas molestias miserum adducat, pomi frustula masticanda præbet: sic falli putat stomachum & fauces! Animum addit, spem faciens salutis futuræ. Sed qvid fit? Nempe novas turbas jam potio movet in stomacho, qværit exitum nusqvam nisi per superna. Qvapropter ventriculus hunc hospitem ferre neutiqvam potens, contrahit se ad excutiendum iniqvum colonum. Sed novâ arte instructus atq; in procinctu stans, non ampliùs odoramenta atq; gustui grata adhibet, sed, ceu vi qvadam naturam coërciturus, ovum frigidum palato & collo extrinsecus apprimit, ne regurgitet qvod infudit. Medicus adveniens, propter ingentes ægri labores fortè vocatus, clysterem extemplò vel suppositorium subdi præcipit, ut statim descendat, qvod exhibuit. At ego vel unicum vomitum etiam decuplo conducibiliorem in eo casu duxerim, qvàm vel octonas sedes. Deniq; qvod ad ejusmodi potiones attinet: vel statim re intacta redduntur ab ægro, vel certè plus molestiæ qvàm solatij bonis illis podagricis præstare solent. *Hæc ille, & qvæ seqvuntur deinceps ad pag. 273. ubi se omne mysterium Dogmaticorum fingit concludere: sed frustrà, qvippe qvi animi impotens & æstro percitus cavillandi maledicendiq; toto eos tractatu deinceps insectari non desinat.*

3. *Ego verò obsecro te Lector, ut etiam atq; etiam tecum*

æsti-

æstimes, sitne ridiculus iste histrio ob effusam & frano carentem maledicendi libidinem commiseratione dignus potius an confutatione? Scripturus de arthritide & calculo, operam penè omnem in generalibus ludit, relictâ materiâ quam sumpserat tractandam. Quid autem allegato jam loco agit? sugillat Dogmaticorum remedia, non illa solùm quæ Arthriticis & Calculosis exhibentur: sed in universum omnia, etiam compositiones usuales, quæq; inde ab omni antiquitate prostant in Officinis, tot seculorum, tot nationum, tot populorum & gentium confirmatæ testimonio. Quibus verò argumentis? duobus maximè. 1. quod omnia semper omnibus ægrotis ingrata sint, & colore, odore, sapore, nauseam moveant. Nos verò respondemus falsum esse quod assumitur, deinde dicimus non omne idè numero medicamentorum esse rejiciendum, quod est ingratum: nec esse in medici potestate à simplicibus semper colorem saporem & odorem tollere: quæ si etiam tollantur: simul vis perierit medicamenti. Porrò de nauseâ & vomitu velim taceant isti, desinantq; sua ipsi vinea cædere. Etenim vidi hisce meis oculis complura exempla eorum, quorum à sumpto medicamento chymico non solùm nausea subsecuta sit, verùm etiam vomitiones alviq; dejectiones plurimæ, & anxietas incredibilis, eaq; continuò aliquot horarum spatio affligens, nec priùs absistens quàm ægri impatientissimi vita cum gemitu fugeret indignata sub umbras.

4. Alterum Quercetani argumentum est, quod medicamenta Dogmaticorum Arthriticis & Calculosis nullo cum successu & fructu exhiberi calumnietur. Ego verò vel unicum proferri velim exemplum hominis unquam reverà à Quercetano curati, quem curare non potuerint Dogmatici. Quod verò nodosam podagram tollere Medicina nequeat: id non est nuperum Dogmaticorum pronunciatum, sed prognosticon à Poëta Sulmonensi celebratum multis antè seculis. Et lapidem in vesicâ ortum auctumq; ad tantam molem, cui transitus non pate-

pateat per orificium vesicæ, si non frangatur medicamentis Dogmaticorum: neq; eum frangent, sat scio, medicamenta Hermeticorum, bonis ægri rebus. Ad externa illa præsidia quod attinet, quæ adversus nauseam ægris solent adhiberi; in his perstringendis histrionem egit Quercetanus, non reprehensorem: erratq; in eo totus, quod existimet medicamentum expurgandis recessibus internis infra diaphragma, infraq; ventriculum positis dictatum, rectiùs supernè unico vomitu per os reddi, quàm octenis sedibus per inferiora dejici; & hac equidem ratione Quercetanus os hominis in fœdam latrinam converterit. / Sed missam sanè præstiterit facere tam effrenatam hominis calumniandi petulantiam, maximè cùm ille jam pridem fatis concesserit.

5. Ideoq; & medicamentorum formulas à Quercetano tum Calculosis tum Arthriticis præscriptas, doctorum judicio & experientiæ permittere malumus, quàm hoc eas loco ad examen vocare. Quæ enim ille de hydromelle suo, in quod radices enulæ & filicis, herbæ chamedrios & chamepytios spiritus Vitrioli & Sulphuris ingrediuntur: tum de Purgante suo in quod sennam, turbit & hermodactilos immittit, deniq; de Elleborismo suo & radicis Ari corpore semi mortuo, magnâ appensâ hederâ, ampullatur, & partim à gratiâ, quâ ægris semper omnibus, citra omnis nauseæ, vomitionis & convulsionis periculum ad blandiantur, partim verò à salutari effectu, commendat: ista nos suo loco relinquimus, memores veteris adagij, quo suus cuiq; crepitus benè olere dicitur: malumus q; de horum medicamentorum gratiâ & effectu aliorum periculo erudiri, quàm ipsi horum periculum primi facere: usuri interim in curando Calculo ijs remedijs, quorum sylvam capite superiori, ex optimis quibusq; authoribus Dogmaticis, in medium attulimus.

Corollarium è 12. 35.

Elleboro & Nasturtio indigere videntur, qvi dictitant, acum illam crinalem potuisse ad renes permeare, per aliam viam, qvàm per Venam Cavam.

Studiosis Medicinæ

S.

UT gratificaremur amico: disputationem de Calculo dedimus, methodo qvidem, pro nostro modulo, concinnatam accuratiore; at aliqvantò prolixiorem tamen. Cùm autem inaudiverimus eam prolixitatem non usqveqvaq; probari nonnullis: visum est hanc illicò veluti in gyrum cogere: ut videant illi, didicisse nos & laxatis & contractis velis navigare. Agite itaq; Artis Medicæ alumni, & vel in Disputatione nostrâ de Calculo principali, vel in hac ejusdem brevi & succinctâ Synopsi diligenter examinandâ, ingenij nervos intendite operamq; date seduiò, ut Opponentium partes obituri, eos nobis oggeratis syllogismos, qvi tribus duntaxat constent terminis; qvi thesin oppugnandam nostram contineant in Conclusione; & qvi Medio, qvoties fieri potest, nitantur apodictico, qvod qvidem in Majore (semper universali) rationem Subjecti, in Minore autem (semper ajente) rationem Attributi habeat. In qvod qvidem Exercitij genus, si vos cognoverimus toto pectore incumbere: erit qvod honorificè de vobis prædicemus, & qvò nos ad studium vicissim de vobis benè merendi, arctissimè devinctos teneatis.

ΣΥΝΟΠΣΙΣ Disputationis DE CALCULO.

1. *Per Lapidem seu Calculum renum & vesicæ intelligitur corpus durum, tophaceum & lapideum, qvod in partibus illis concrevit.* Nomen.

2. *Illud corpus lapideum in dictis partibus varios morbos & symptomata procreat: qvæ omnia sub Calculi & Lapidis vocabulo comprehenduntur.*

3. *Lapis in Vesicâ, communiter Græcè λίθος & λιθίασις dicitur. Calculus renum νεφρίτης nomen sibi velut proprium vindicavit; alioqvi suapte naturâ omnibus renum affectibus commune.*

4. *Lapides in diversis partibus diversa nomina sortiti*

sunt. In vesicâ Lapis, in renibus Calculus, in pulmone Grando, in articulis Tophus appellatur.

Genus proximum. *5. Licet varia Calculi Genera proxima statuere. Est enim Calculus Causa morbi: Est & Morbus, nimirum Obstructio, est Numerus auctus; est Intemperies sicca; est morbus similaris Materiæ, nempe immoderata nimiumq; penetrabilis renum raritas similaris; est morbus similaris Formæ, nempe formalis renum constitutio calculosa, hæreditariò è parentum semine contracta. Est quoq; Symptoma excrementi mutati. Denique est quandoq; & Soluta unitas.*

Differentiæ. *6. Calculum à Dolore Colico distingvunt locus doloris, 2. species doloris. 3. murmura mugitus & rugitus colici, 4. stupor femoris in nephritide. 5. curvitas dorsi, erigendi corporis impotentia & lumborum gravitas. 6. Urina in Nephritide initio tenuis & cruda, mox cum arenularum sabulo, calculo, vel cruore excreta; feces verò alvi duriores: contrà in Colico dolore urina initio rubens & crassa: Excrementa verò alvi flatuosa & stercori bubulo consistentiâ similima quæ in aqvam injecta supernatant.*

7. Secatur Calculus in species 1. à Subjecto, ut alius sit renum, alius vesicæ, alius pulmonum, alius cordis, alius epatis &c. 2. ab Efficiente materiali: ut alius sit pituitosus, alius biliosus, alius melancholicus, alius sangvineus, alius variè mixtus: prout dicti humores materiam Calculi proximam terream & salsam, sero, instar lixivij permixtam, plus minusvé deponunt. 3. à diverso Generationis modo & aliarum Efficientium diversitate: ut alius sit per Evaporationem materiæ tenuis, alius per Agglutinationem arenularum, alius per Exassationem, prout sunt diversi Caloris gradus, alius à Calore inflammatorio per excretionem materiæ tenuis, & retentionem exsiccationemq; materiæ crassioris, alius per Exsiccationem à Frigore, alius à vitio partis subjectæ materiali, alius ab ejusdem vitio formali; prout hæc vel illa causa in Calculi generatione reliqvis prædominatur.

Diffe-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883/phys_0084
DFG

Differentias accidentales à quantitate, qualitate, quando & ubi, hoc loco de industriâ omitto.

8. Subjectum Calculi seu Lapidis proximum, est partis subjectæ dispositio secundum naturam: Subjectum verò remotum, est pars ipsa subjecta. Subjectū.

9. Causa Calculi, ut corporis tophacei seu lapidei considerati, (reliquas enim calculi considerationes jam hic brevitatis ergô præteribimus) efficiens proxima seu immediata, utplurimùm est quadruplex 1. humor excrementitius, è materiâ crassâ lentâ & velut gypseâ aut argillosâ, nempè terreâ, salsâ & aqueâ seu serosâ compositus. Terrea quidem requiritur ad molem lapideam constituendam: salsa ad coagulationem: aquea seu serosa tum ad terreæ & salsæ materiæ solutionem mixtionemq;, tum etiam ad penetrationem: ut, terreâ crassitie in minimas particulas solutâ & attenuato lentore, humor seu succus iste fiat & sit instar lixivij aut salsuginis quovis penetrabilis; insitâ vi præditus non tantùm lapidescendi, verùm etiam lapidificandi seu petrificandi: precor veniam vocabulis. 2. humidi redundantis exsiccatio seu consumptio, quæ fit in loco affecto: ita quidem ut non oporteat necessariò humiditatem illam prorsus omnem evanescere, (cùm & lateres, è quibus fornaces extructæ sunt artificum, qui metalla fundunt, aut simile quid operis agunt, præ ignis vehementiâ, sæpenumerò, ob reliquum in ijs humidum, colliquari, & instar massæ fermentescentis diffluere videamus) sed sufficit tanta humidi absumptio, quantam ipsa calculi aut lapidis orituri exigit consistentia. 3. Partis subjectæ vitium materiale; quod est immoderata & nimiùm penetrabilis raritas similaris. 4. ejusdem partis vitium formale, & occulta proprietas: quæ posteriora duo Fernelius per insitam renum arenosam calculosamq; constitutionem indigitavit. Ab alijs vocatur calculosa renum dispositio occulta. Causa proxima.

10. Modos gignendi calculi à diversitate Efficientis diversos Modi generationis

versos è thesi 7. colligere promptum est: qui omnes & singuli per similitudines rerum externarum, quæ in lapides convertuntur, sive arte sive naturâ, pulchrè & eleganter illustrari & declarari possunt. V. g. aquæ, præsertim marinæ, in salem coctæ, lixivij, salsuginis &c. è quibus coctione sal extrahitur: item, laterum arte coctorum: tum maximè lapidum naturalium, fluviatilium aliorumq; & corallij, & rerum petrefactarum, puta arborum, fruticum, lignorum, aliarumq; rerum, imò animalium & pecudum, ipsorumq; adeò hominum in lapides conversorum.

Causa antecedens.

11. Causa Calculi antecedens materialis, non differt à primâ connexarum materialiter, sed loco solùm. Est enim eadem materia adhuc in venis alijsvé in vijs contenta, mox ad renes excernenda. Causa materialis paulò remotior est ipsa vitiosa sanguinis massa, in vasis contenta & ex quatuor humoribus permista. Hanc antecedit vitium Concoctricis & Expultricis in visceribus & organis nutritionis, puta Epate, Liene, Intestinis, Ventriculo.

12. Deindè Exsiccationis causa est ficca renum & vesicæ intemperies, quæ nonnunquam à Calore inducitur, nonnunquam verò à Frigore. Caloris porrò seu Calidæ Intemperiei causæ à Galeno quinq; præcipuæ numerantur. 1. contactus rei calidæ. 2. motus improbus, 3. putredo, 4. constipatio. 5. assumpta calefacientia. Frigiditatis verò seu Frigidæ Intemperiei causæ & ipsæ ob eodem quinq; ponuntur. 1. contactus rei frigidæ, 2. assumptorum quantitas & qualitas. 3. corporis raritas. 4. constipatio. 5. motus immoderatus & otium.

13. Deniq; vitiosa seu calculosa partis subjectæ constitutio, sive materialis sive formalis, ferè hæreditaria est: traducta è parentum semine, ceu causâ calculi antecedente.

14. Cæterùm Ætas quoq; in Calculo aliquam rationem Causæ Antecedentis habet. Pueri enim renum calculo ferè non laborant, sed vesicæ: Senes verò & renum & vesicæ calculo obnoxij sunt.

15. Sed

15. Sed & inter Calculi causas Antecedentes ponitur urinæ retentio & collectio, quam efficiunt in pueris quidem 1. vesicæ frigiditas & siccitas. 2. amplitudo vesicæ. 3. diutina mora urinæ in vesica. 4. materiæ tenacitas & crassitudo. 5. calculosa constitutio naturalis & hæreditaria. In senibus verò, præter jam dictas, aliæ insuper causæ accedunt, nempe 1. major renum siccitas, ob diminutum humidum innatum. 2. diminutio caloris innati, & auctio caloris adscititij. 3. vis concoctrix & expultrix invalida. In senibus etiam causa retentionis est ipsa ureterum angustia: quæ non militat in pueris, ob calorem innatum & expultricem validam.

16. Causæ Calculi externæ & evidentes sunt aër intemperatus; alimenta crassa, quæ succum generant crassum & terrestrem, alimenta salsa, quæ succum salsum præstant, & quæcunq; fumo aut vento sunt indurata. Vinum immaturum, crassum &c. Cerevisia faculenta, aqua impura. Intempestivus corporis motus à cibo. Somnus & vigiliæ immoderatæ, Excrementa, præter naturam retenta vel excreta. Animi motus modum excedentes. Causa externa & evidens.

17. Est autem calculus corpus lapideum, quod in renibus aut vesicâ, (de quarum partium calculo & lapide potissimùm agimus) concrevit, ex materiâ crassâ, lentâ, terreâ, salsâ, cum sero permixtâ: idq; suapte naturâ, interdum etiam adjuvante loci subjecti siccitate; maximè verò ejusdem proprietate tum materiali tum formali, ut plurimùm hæreditariâ: pariens renum obstructionem & morbum in numero, quandoq; & solutionem continui. Definitio.

18. Signa Calculi desumuntur à doloris proprietate & situ. Etenim dolor sub pube acutus, terebrans, lancinans, cum urinæ retentione, significat lapidem in vesicâ; Idem in inguinibus, arguit lapidem in ureteribus; Dolor obtusus in regione renum, cum stupore cruris, è directo positi & curvitate dorsi, ostendit lapidem Signa.

in renibus: quibus Colophenem addunt, arenularum sabulum & calculus cum urinâ cruentâ excretus.

10. Prognostica. Lapis vesica magnus & durus vix ac ne vix quidem curatur, nisi artificiosâ sectione. Lapis renum magnus & ramosus non curatur: quare obstandum principijs. Arenarum sabulum & calculi parvi, rotundi & leves, haud difficulter expelluntur. Visi sunt calculi & lapides, qui relictâ viâ naturali, ipsi sibi exitum parârint, factâ suppuratione in regione lumborum, & perinæi.

Victus ratio.

20. In Curatione Calculi aut Lapidis ante omnia tenenda est bona Victus ratio. Aër convenit temperatus. Absit nimia cibi quantitas, ferculorum multitudo; fugiantur cibi qui succum pariunt crassum aut salsum: Eligantur cibi boni succi, panis benè fermentatus, subactus & coctus, non planè furfuris exors. Caro vitulina, vervecina, gallina, caponis, phasiani, pullorum, avium montanarum. E piscibus eligantur saxatiles, squamosi, qui degunt in aquis fluentibus. Potus esto hydromel. Vinum album, clarum, Rhenanum, lymphatum. Cerevisia benè depurata. Aqua sit optima, quæ neq; gustu, neque olfactu, neq; colore sensus offendat. Exercitium convenit moderatum ante pastum. Vigilandi & dormiendi modus esto. Excretiones naturales eant naturâ vel arte. Deniq; animi affectibus ne frænum laxetur.

Curatio.

21. Tempore Paroxysmi, Medicus vocatus, mox Enema curet injiciendum. Deinde, si indicationes svaserint, venam secari jubeat, pro re natâ, cubiti aut poplitis. Interea è magmate decocti Enematis, cataplasma paret Inguinibus imponendum. Amoto cataplasmate, inguina, pubem, perinæum, & regionem renum, jubeat inungi oleo scorpionum, camomillæ, unguento dialthæa, pingvedine caponis &c. Deinde paret insessum ex decocto herbarum, radicum, seminum, & fructuum emollientium, & vim diureticam habentium. Hac agat iteratis vicibus, tantisper dum urina & cum urinâ aliquid obstruentis materiæ utcunq; excerni

excerni inceptet. Quo tempore paratum habeat decoctum aut destillatum aliquod diureticum, de quo æger subinde bibat. Si necessitas postulaverit, hærente calculo in ureteribus, postquam partes cataplasmate, fotu & insessu laxiores redditæ fuerint, adhibeantur ventosæ sine scarificatione, sub loco doloris, una post aliam, in regione ingvinum: ut calculus sensim protrahatur. Si obstructio sit in orificio vesicæ: catheteri locus erit.

22. Ubi æger à Paroxysmo evaserit, tempore intermissionis, in bonâ victus ratione usq; & usq; perseveret. Deinde tempore quolibet bimestri, aut trimestri, corpus à causâ antecedente expurgandum curet. Subindè cassiam pro alvo leniendâ in bolo devoret. Semel aut bis in mense à cœna vomat, assumpto decocto seminis raphani tepido cum oximelle. Interea quotidie manè jejuno ventriculo, & à prandio horis duabus ante cœnam, diureticum aliquod bibat. Sed obe! Hîc jam Herculis columnæ; hîc Phasis: ne quisquam de novâ prolixitate denuò conqveratur. Præcautio

FINIS.



15. Sed & inter Calculi causas Antecede
ri-
na retentio & collectio, quam efficiunt in pue
ve-
sicæ frigiditas & siccitas. 2. amplitudo vesicæ.
a-
urinæ in vesica. 4. materiæ tenacitas & crassit
(a-
constitutio naturalis & hæreditaria. In seni
ter
jam dictas, aliæ insuper causæ accedunt, nemp
um
siccitas, ob diminutum humidum innatum. 2.
iris
innati, & auctio caloris adscititij. 3. vis co
ful-
trix invalida. In senibus etiam causa retentio
ete-
rum angustia: quæ non militat in pueris, ob c
m-
& expultricem validam.

16. Causæ Calculi externæ & evidentes
pe-
ratus; alimenta crassa, quæ succum generant
re- Causa ex-
sirem, alimenta salsa, quæ succum salsum præst
ng- terna & evi-
fumo aut vento sunt indurata. Vinum immatu
dens.
Cerevisia faculenta, aqua impura. Intempest
&c.
tus à cibo. Somnus & vigiliæ immoderatæ, Ex
mo-
naturam retenta vel excreta. Animi mot
eter
dentes.
xce-

17. Est autem calculus corpus lapideum
ibus Definitio.
aut vesicâ, (de quarum partium calculo &
ùm
agimus) concrevit, ex materiâ crassâ, lentâ, t
um
sero permixtâ: idq; suapte naturâ, interdum
ante
loci subjecti siccitate; maximè verò ejusdem pro
ma-
teriali tum formali, ut plurimùm hæreditari
um
obstructionem & morbum in numero, quan
nem
continui.

18. Signa Calculi desumuntur à doloris p
situ. Signa.
Etenim dolor sub pube acutus, terebrans, lancin
æ re-
tentione, significat lapidem in vesicâ; Idem in
guit
lapidem in ureteribus; Dolor obtusus in regio
stu-
pore cruris, è directo positi & curvitate dor
idem
in

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695883/phys_0093
DFG